DE FIDE ET OFFICIIS CHRISTIANORUM LIBER. AUTHORE THOMA...

Thomas Burnet

Digitized by Google

15. 5. 256

5K·5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
Fide & Officiis
CHRISTIANORUM
LIBER.

Authore THOMA BURNETIO, S.T.P.

LONDINI:

M.DCC.XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM.

AUCTORIS *doctiſſimi prudentiâ cautum fuerat, ut quam de rebus controverſis ſententiam clauſam in pectore habuit, nonniſi cum paucis, iiſque conſultioribus, amicis communicaret: nec palàm proderet; ne, datâ ingeniis hinc paulò* infirmioribus *indè* liberioribus *occaſione, contentioni facem prætuliſſe videretur. Quoniam autem tam rara Scriptoris eruditiſſimi monumenta ob codicum ab ipſo impreſſorum paucitatem aut deperire aut pro deperditis haberi aliquando poſſent; aliquot eorum exemplaria viſum eſt diligenter ad ipſum Archetypum recudere: non ut in vulgus ederentur (ne fortè Auctoris defuncti*

Digitized by Google

functi propoſito fraus fieret); *ſed ut ſelectorum quorundam fidei, quaſi depoſitum quoddam, concredita, tam à publicatione quàm ab interitu tuta conſervarentur. Quiſquis igitur hæc acceperis, ſcias tibi utendi tantùm, non abalienandi jus dari; teque fidei violatæ reum fore, ſi, te permittente aut connivente, vel exſcribantur, vel imprimantur.* Vale.

DE

Digitized by Google

DE
Fide & Officiis
CHRISTIANORUM.

CAP. I.
Argumentum & Ratio Operis.

DOctrinam Chriſtianam in Canone Scripturæ contineri, ſive in Libris Sacris Judæorum & Chriſtianorum ſupponimus; neque id agitur impræſentiarum, (quod ab aliis præclarè præſtitum eſt) ut eorundem Librorum authoritatem vindicemus. Doctrinam autem in ſacris illis tabulis deſcriptam ita explicare conabimur, ut quæritantibus appareat, Religionem Chriſtianam eſſe OEconomiam Deo dignam, & humano generi ſalutarem; nihilque ſuperſit obſtaculi (modò animorum vitia excipias) quo minùs hanc Religionem, ut cœleſte do-

Digitized by Google

num & inſtitutum, præ cæteris omnibus amplectamur, atque firmâ fide & affectu ipſius obſequamur præceptis & documentis.

Quæ proindè propius ſpectant ad hanc diſſertationem ea ſunt quæ ſequuntur. Ut dilucidè doceamus pro virili quam viam ſalutis præſcripſerit Religio Chriſtiana, & quo Duce: Quæ præcepta dederit, vitæ & morum regulas: Quæ inſuper auxilia promiſerit ad virtutem & pietatem contendentibus. Prætereà, qualem Dei cultum ritúſque ſacros inſtituerit. Porrò quibus conſtet dogmatis Fides Chriſtiana, quærendum: Quæ nova proponat aut myſtica circa naturam divinam, humanam, aut mundum externum: Denique de præmiis & pœnis vitæ futuræ, quid ſtatuat: Qualem polliceatur felicitatem ſuis diſcipulis; quid mali minetur incredulis & immorigeris. In his explicandis, aliíſque affinibus, verſabitur hæc diſſertatio.

Inter alia quæ Chriſtianis olim objecêre Philoſophi, duo erant maxima: Primum erat *Credulitas*, ſeu fides temeraria, in recipiendâ ſuâ Religione, & eâdem pertinaciter aſſerendâ: Dein alterum, ipſius religionis imbecillitas & impotentia ad reſtaurandam & perficiendam, ac, ut ità dicam, beatificandam Animam humanam. Ad prius quod ſpectat, L. 1. *Celſus* apud *Origenem* populum Chriſtianum generaliter comparat *vulgo*, qui credulitate ſuâ facilè decipiuntur à præſtigiatoribus: Nec eos pati velle ait, ut ſua fides ad examen revocetur. *Φησὶ δέ τινας μηδὲ βουλομένους διδόναι ἢ λαμβάνειν λόγον περὶ ὧν πιστεύουσι,*

ei, &c. *Quoſdam ex his*, de Chriſtianis loquitur, *ne velle quidem rationem fidei ſuæ vel reddere vel accipere dicit. Uſurparéque illud dictum, nè EXAMINA, SED CREDE, ET FIDES TUA SERVABIT TE. Dicere etiam ſolitos, mala res eſt mundana ſapientia, bona verò ſtultitia.* Pudet audire hæc opprobria in Chriſtianos effuſa, temerè licèt, ut ſpero, & invidioſè. Siqui ſunt qui hoc modo torpere & otiari amant in ſuâ religione, & tantùm non obdormiſcere, in eos incidant hæc ſpicula, pungant & expergefaciant. Nos utique vigiles eſſe volumus animóque parato ad tuendam provinciam. Nullum fugimus examen Fidei noſtræ, nec eam à quoquam recipi petimus, niſi peracto priùs examine, ſive id inſtituant per monumenta Prophetica, ſive ex hiſtoriâ rerum à Chriſto & Apoſtolis geſtarum, ſive ab ipſius doctrinæ naturâ & indole. Nullum argumenti genus nullum locum excipimus, unde elici poſſit veritas, aut eluceſcere.

Quod pertinet ad alterum nobis à Philoſophis objectum, eſt quidem commune Chriſtianis cum Judæis, Ethnicíſve quibuſcunque qui formam aliquam religionis, cultúmque Dei aut Deorum obſervabant. Scilicet *Porphyrius*, vir eruditus & acutus inter Græcos, de religionibus quibuſcunque humano generi hactenus propoſitis, hanc auſus eſt ferre ſententiam, *Nondum receptam eſſe unam quandam ſectam quæ univerſalem viam Animæ contineat liberandæ.* Nempe liberandæ à ſuis ſordibus, & ad primævam ſuam felicitatem & perfectionem reſtituendæ. Id enim voluit *Porphy-*

S. Auguſt. C. D. l. x. c. 32. vid. etiam c. 11.

phyrius, necdum ait ad ſuam notitiam perveniſſe, ex ullâ Philoſophicâ diſciplinâ, aut religione publicâ, hujuſmodi viam ſalutis univerſalem.

Quæ deſideravit *Porphyrius* in omni aliâ religione, putà vitam æternam, & quæ eò ducat viam certam, ea nobis promiſit & exhibuit Dux & Legiſlator noſter, Chriſtus. *Ego ſum*, inquit, *via, veritas & vita, Joh.* xiv. 6. Dixítque ſibi datam eſſe *omnem poteſtatem in Cœlo & in Terrâ*, (*Math.* xxviii. 18.) Nec tantùm in Cœlo & in Terrâ, ſed etiam *inferorum & mortis ei commiſſas eſſe Claves*, *Apoc.* i 18. Dein hanc plenitudinem poteſtatis júſque invitam æternam quod verbis ſibi aſſeruit Chriſtus, opere ipſo demonſtravit multis modis. Primò miraculis præſtantibus & multifariis, mortuis etiam ad vitam revocatis. Poſteà, ſuâ ipſius Reſurrectione & Aſcenſione; & poſt aſcenſionem, effuſione Spiritûs Sancti, in arrhabonem & præſenſionem quandam ejuſdem vitæ & hæreditatis æternæ. Sed hæc fuſiùs ſunt explicanda cùm de authoritate Legiſlatoris agitur.

Interea, En finem ultimum & deſideratiſſimum, vitam æternam, beatam immortalitatem, reditum Animæ ad cœlum, in patriam, ad ſtatum Angelorum & Filiorum Dei: Ità vitam æternam explicuit Chriſtus, ita intelligunt Philoſophi. Dein ſi quæras quibuſnam daturus ſit Chriſtus hanc vitam ſempiternam, quas ferat conditiones, quâ viâ eatur ad cœlum, reſpondet ipſe, *Joh.* xi. 25. *Ego ſum Reſurrectio & Vita, & qui credit*

Luc. xx. 36.

in

in me habebit vitam æternam, & ſuſcitabo ipſum in ultimo die. Hoc eſt, qui fidem legémque meam ampleċtitur, abjeċtâ omni ei oppoſitâ, ſive Gentium ſive Judæorum, hoc ei præmium dabo, hanc mercedem, ſe, finitâ hâc vitâ, compotem fore immortalitatis & beatitudinis perennis. Idem ſæpius repetit Chriſtus, oblatâ occaſione, in aliis ſermonibus & colloquiis, *Joh.* iii. 15. *c.* vi. 40. *c.* x. 28. *c.* xvii. 2, 3.

His itidem conſentientem in omnibus experimur doċtrinam Apoſtolorum, primorum Evangelii præconum. Potentiam ſimul & propenſam Chriſti voluntatem ad procurandam ſalutem humani generis, vímque illius inſtitutionis præ cæteris omnibus ubique prædicant & teſtantur. *Non me pudet Evangelii Chriſti*, inquit Paulus, *ſiquidem eſt potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti, Judæo primùm, tum etiam Græco.* Rom. i. 12. *Nec eſt*, inquit Petrus, *in alio quoquam ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſalvari.* Aċts iv. 12. Hunc etiam θεὸν σωτῆρα iidem teſtes aſſerunt, & velle & poſſe Animum noſtrum in participationem naturæ divinæ, corpúſque in participationem formæ divinæ evehere, (2 *Pet.* i. 4. *Phil.* iii. 21.) Quibus præmiis, quâ gloriâ, nihil patitur illuſtrius natura humana: Nihil cupit præclarius ambitioſa philoſophia. Sed de his pleniùs in ſequentibus.

Hæc ad *Porphyrium.* Sed liberandæ & emancipandæ Animæ à ſervitute hujuſce

Cor-

Corporis, purgandæque ad vitam, quam anhelamus, cœleſtem recipiendam, impares eſſe dicit omnes ritus, omnémque religionem Judæorum aut Gentium: id libenter agnoſcimus & unà affirmamus, *Rom.* i. *Heb.* x. Sed non expectanda eſt integra & abſoluta emancipatio ante ſolutum hoc Corpus, mundúmque inferiorem, quo circumvolvimur, innovatum, *Rom.* viii. 19, 20, 21, 22, 23. *Eph.* i. 13, 14. Intereà Chriſtianis præcipitur in hâc vitâ iterum iterúmque, puritas animi & corporis, quoad fieri poteſt, nec niſi puris ſanctiſque promittitur ſalus æterna (*Heb.* xii. 14.) memoratâ ubique ſanctitate, ut ejudem obtinendæ conditione neceſſariâ. Denique, ad hanc puritatem acquirendam acuuntur & adjuvantur facultates animæ omni modo, per Legem puram, cultum purum, exemplum puriſſimum: Denique per Sancti Spiritûs influxum, vímque promiſſorum de vitâ æternâ conſequendâ, 1 *Cor.* xv. 58. & 2 *Cor.* vii. 1. *Heb.* xii. 1, 2.

Ita comparata eſt, ut vides, Religio Chriſtiana, ut quæ in cæteris deficiunt & deſiderantur ad plenitudinem & perfectionem, ea ſint integra atque ſuis numeris expleta in hâc inſtitutione: Sive finem propoſitum reſpicias, ſive media & inſtrumenta ad eum aſſequendum maximè idonea. Id unum ſupereſt, ut deinceps oſtendamus, Hæc eſſe conſtituta ab authoritate divinâ & ab eâdem confirmata, ut effectu ſuo deſtitui nequeant, nec metus ſit ſpem noſtràm & expectationem fruſtratum iri. Id quod, ſpe-

ro, ab inſequentis operis ordine & argumentis conſtabit.

Hæc in genere præfati ſumus ad Philoſophos. Quæ præterea à Judæis, antiquo Dei populo, objiciuntur, circa Meſſiam noſtrum, Legémque novam, ea ſub finem hujuſce ſcripti tractabimus; ut cuilibet adverſario fidei noſtræ, ſive Græco ſive Judæo, modò ſuæ infidelitati rationes aliquas obtendat, reſponſum fiat æquum & amicum. Hoc modo Religionis noſtræ tuebimur honorem, ubi palàm fecerimus nihil nos metuere aut metuendum eſſe ab ipſius hoſtibus in quovis certamine honeſto; modò ex parte noſtrâ, bonæ cauſæ nec animus deſit, nec conſilium. Hæc breviter præfati ad opus ipſum progrediamur.

Digitized by Google

Cap. II.

De Religione Naturali, univerſali & immutabili. Dein de Religione inſtituta, & ipſius fundamento generali in ſingulis Œconomiis.

OMNIS Religio vera, ſive divinitùs ſive humanitùs inſtituta, ſuas habet radices in *Religione Naturali*; Hæc igitur primò eſt conſideranda. Religio autem naturalis in eo poſita eſt præcipuè, ut agnoſcamus *Deum unum Summum*, rerum omnium Authorem & Rectorem; Dein rerum diſcrimina, ſecundùm rationes veri & falſi, boni & mali, turpis & honeſti, juſti & injuſti. Denique, quatenus ab his arguitur, præmiorum & pœnarum futuram diſtributionem. His fundamentis innititur religio prima, atque ei ſuperſtructæ ſunt Religiones ſecundariæ: quæ dici ſolent œconomiæ, diſpenſationes, Leges aut Inſtitutiones ſacræ. Hæ verò œconomiæ & inſtituta multimodìs variantur pro ratione temporum, locorum & gentium. Dein alia atque alia ſunt ſecundùm rerum intellectualium ordines mundóſque multiplices, in quibus varias induunt formas & habitus. Quemadmodum enim in Corpore animali ſunt quædam ſtamina, ad vitam & ſenſum neceſſaria, ſinè quibus natura animalis conſtitui aut conſiſtere non poteſt: licèt interim variæ ſint formæ & figuræ iſtorum corporum, ſuper-

additis

Digitized by Google

additis organis aptiſque partibus, pro ratione variâ quadrupedum, volucrum, piſcium, reptilium, & reliquorum omnium quæ vitâ & ſenſu fruuntur: Ita variæ ſunt Religionum formæ, facies, & conſtructiones, pro vario rerum ſtatu & ordine, ſecundùm providentiam & conſilium ſapientiſſimi Rectoris & Opificis: participant autem omnes, plus minùs, eandem naturam intimam, eundem ſuccum, ſinè quo nullam habituræ eſſent vim divinam aut vitalem. Nullum eſt ædificium abſque fundamento, nec arbor aut frutex abſque radice: Neque magis ſinè his ſeminibus & principiis originariis ulla naſci poteſt aut conſtare religio.

Ad hæc conſequens eſt, vel potiùs intertextum, univerſalem & immutabilem eſſe hanc, de quâ loquimur, Religionem Naturalem: id quod de nullâ religione inſtitutâ dici poteſt. Univerſalem enim dico ſenſu latiſſimo, quoad omnia tempora, terras, populóſque: Nec in hâc Terrâ tantùm, ſed etiam in cæteris, quotquot ſunt habitabiles per totum univerſi ambitum. Sicut enim colores ſunt varii in variis corporibus pro ratione materiæ ſubjectæ, Lux autem eadem eſt quæ ſingulis ſubſternitur, & à diverſis corporibus diverſas habet modificationes: Ita religio naturalis in ſe eadem ubique, variè modificatur in diverſis œconomiis, ac velut intermixtis umbris diverſò pingitur & repræſentatur. Neque æquum eſt credere, ut antea monuimus, hanc varietatem locum habere tantùm apud nos miſellos & in hoc Orbe exiguo, ſed quaquà

Digitized by Google

non diffiteor, multa vera eſſe, quæ vulgo ſcire non ſit utile: & ſiqua nudè propoſita finem ſuum non eſſent aſſecutura, in iis licet ad commune judicium popularémque intelligentiam ſtylum demittere.

Diximus præterea Religionem naturalem eſſe *Æternam & immutabilem:* ut patet exinde quòd radicata ſit in naturâ divinâ, quæ eſt æterna & immutabilis. Eſt in Deo, ut in ſuo fonte & primâ origine, veritas, bonitas, juſtitia, ſanctitas, omnis denique rectitudo: Et ab his perfectionibus, naturæ divinæ æſtimanda & metienda eſt perfectio omnis creaturæ rationalis. Eo enim quævis eſt perfectior, quo propiùs accedit ad hoc exemplar & archetypum, & quo perfectior eo beatior. Quapropter & natura rei, & officii ratio, & propriæ felicitatis innata ſitis, eo nos impellunt omnia, ut veritatem, juſtitiam, bonitatem, cæteráſque Dei perfectiones imitabiles colamus & pro virili parte exerceamus. Quúmque harum perfectionum regula ſit immutabilis & inflexilis Dei naturâ, ut anteà diximus, erit pariter, quæ huic regulæ congruit & reſpondet religio naturalis, in hâc parte fixa, immobilis & immutabilis.

Hæc de religione naturali ſecundùm innata rerum diſcrimina, boni & mali, turpis & honeſti, in vitâ & moribus inſtituendis ſemper obſervanda, dicta ſunto. Pars altera religionis naturalis verſatur circa cultum Dei, & pietatem ſummo Numini debitam. Eſt autem vera pietas Adoratio Dei ſecundùm

Digitized by Google

dùm dignitatem & perfectionem ſuæ naturæ. Eſtque vel ſolius animi, in meditatione & contemplatione poſita, &, quæ indè naſcuntur, aſpirationibus ad Deum cum affectu & ardore; quæ dicitur pietas interna. Vel eſt etiam externa, quæ corpore unà peragitur, precibus & laudibus ad Deum effuſis, cum omni apparatu honeſto cultûs exterioris. Neque enim hìc pingas velim Religionem naturalem penitùs nudam, ſinè omni cultu, inſtar fœtûs recèns editi, aut Telluris hybernæ ſuis floribus & frugibus ſpoliatæ: His ſolet redundare potiùs religio naturalis & ad ſuperſtitionem vergere, ut aliquid amputandum ſit plerumque ad luxuriam cohibendam, Abſcindantur velim hæc omnia ſuperflua & ſuperſtitioſa: manebit nihilominus cultus exterior, atque illi ritus ſacri, & pietatis inſtituta ſana quæ in ipsâ naturâ fundantur. Qualia ſunt laudes & hymni in conventibus publicis, preces & ſupplicationes ſolennes: Etiam confeſſiones peccatorum & deprecationes: Fidei in Deum, rerum omnium Rectorem, formulæ & profeſſiones ſtatæ & ordinariæ. Hæc omnia locum habent in religione naturali. Prætereà Dies feſti ſacris obeundis dicati: Conciones ad populum, ad virtutem, pietatem, reſipiſcentiam & reformationem hortationes. Denique, quæcunque faciunt vel ad avertendam Dei iram, vel impetranda beneficia, vel ad ſalutem publicam aut privatam, ſecundùm optimum naturæ lumen, ea ſunt inſerenda aut adoptanda in religionem naturalem.

Non

Digitized by Google

Non eſt adeò ſterile naturæ ſolum, ut neque herbas neque fructus ferat. Et qui religionem naturalem inſtar corporis aridi, exanguis & exucci depingunt, nec Dei nec humani generis conſulunt dignitati. Quâ religione placuit Deo Enochus? Quâ ſcalâ aſcendit in cœlum? Non eſt, crede mihi, languens & enervis illa virtus quâ quis vivus in cœlum evehitur. Quâ lege præter illam conſcientiæ naturalis vitam inſtituit, mores rexit * Noachus, cùm habitus eſt juſtus & perfectus in conſpectu Dei? Quid dicam de Abele? Qui in mundo recèns nato ſecundus tertiúſve erat ab Adamo, multis ante Moſem ſæculis. Ille tamen *juſtus* dicitur à Chriſto, & inter viros ſanctos numeratur, *Matth.* xxiii. 35. Denique quâ fide Abrahamus & reliqui Patres ante latam Legem Moſaicam Deo fuerunt accepti? Lex nobiſcum nata obtinuit uſque à natalibus mundi: Lex ſcripta non niſi duo poſt millennia à mundo condito: necdum gentis humanæ partem maximam attigit aut illuminavit; Hóſne omnes credemus æternùm periiſſe, aut perituros eſſe? *Hos*, inquam, *qui legem externam non habentes, ſibiipſis fuere Lex, oſtenderúntque vim legis ſcriptam in cordibus ſuis, unà teſtimonium reddente ipſorum conſcientiâ, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus aut etiam defendentibus.* Te præterea teſtor, Nobilem Arabem, Dei ſervum, Jobum; Dei ſervum appello, erat enim, Deo teſte, *Integer & rectus, timens Dei & re-* Rom. ii. 14, 15.

* Tertull. adverſ. Jud. c. 2. p. 184. *Unde Noe juſtus inventus ſi non, &c.* adde Notam Pamelii ex Origene, ibid. Vid. & de coron. Militis, c. 6,

cedens

Digitized by Google

cedens à malo. Quas virtutes heroicas exercuit, referente Hiſtoriâ Sacrâ! Quam vim & conſtantiam animi! Quæ præclara documenta reliquit, verbis factíſque! Plures non memoro ſatis notos, ex hâc aut illâ gente & ætate. * Nec credendum eſt, hos eximios viros ſibi ſolis ſapuiſſe: Celebrârunt, in ſuâ quiſque familiâ, tribu, ditione, cultum aliquem divinum, purum, caſtum, Deo gratum, ſibi & ſuis ſalutiferum. Tales cultores quærimus, cultúmque ſimilem, in eâ, de quâ hìc agitur, religione naturali, ſincerâ & incorruptâ. Sed ad Religionem inſtitutam tranſeamus.

Religio inſtituta qualiſcunque duabus conſtat partibus, communi & propriâ. Id quod participat cum religione naturali, Commune appello: & quod habet novum & huic ſuperadditum, inſtitutione aliquâ divinâ aut humanâ, id proprium & peculiare nuncupo. Hoc religionis Corpus, illud Anima dici poteſt. Pietas enim & probitas naturales ſunt veluti nervi & fibræ omnis religionis genuinæ; vel inſtar ſanguinis in corpore, qui per totum diffunditur, ſecúmque vehit & vitam & vires & ſanitatem, ſingulíſque partibus nutriendis ſuccum idoneum. Proinde ſemper in Religione divinitùs inſtitutâ, adeóque verâ, pars naturalis eſt ſuperior, & domina-

* Οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες &c. Juſtin. Apol. 2. p. 83. Dein Dial. cum Tryph. in p. 263. Ἐπεὶ οἱ τὰ καθόλου, καὶ φύσει, καὶ αἰώνια καλὰ ἐποίουν, εὐάρεστοί εἰσι τῷ Θεῷ. *Nam qui ea fecerunt, quæ univerſim, & naturâ & perpetuò pulchra ſunt, Deo benè placent.*

tur

tur alteri quoties ſeſe interſecant, atque ita impediunt ut alterutra ſit intermittenda. Hoc in œconomiâ Judaicâ & Chriſtianâ, à Deo conſtitutis, manifeſtò patet: In Ethnicâ parciùs, at inter eximios viros apud gentes prælata fuit pariter ritibus & inſtitutis omnibus ſanctitas naturalis, & virtus interna, ut infrà patebit. Sed operæ pretium erit has Leges ſacras cujuſcunque ordinis cum naturali paucis conferre, ut in ſingulis quem locum teneat Illa videamus.

Quoad Legem Judaicam, imprimis notum eſt Decalogum eſſe partem ipſius principalem: Eúmque fundari, maximâ ex parte, in lege naturæ: in officiis putà quæ Deo & hominibus ex æquo, recto & honeſto, præſtare tenemur. Hanc erga Deum reverentiam, & erga homines benevolentiam, duo Legis præcepta maxima vocat Chriſtus, (*Mat.* xxii. 37, 38, 39, 40.) Quin & exinde pendere ait Legem & Prophetas. Neque aliter ſtatuerunt è Judæis ſapientiores. Aiunt quidam Doctores Hebræi, id primum fuiſſe conſilium propoſitúmque Moſis, ut ex unico Decalogo, ſive decem præceptorum tabulis legem conſtitueret Iſraelitis: Sed cùm redux è monte vidiſſet ingenium populi ad Idololatriam propenſiſſimi, utpote qui tantillo tempore ſuæ moræ *Aureum vitulum* ſibi confecerat, & in Deum Iſraelis erexerat: His, inquam, viſis, mutavit ſententiam Moſes, atque ſecum ſtatuit, huic populo opus eſſe Religione negotioſâ, quæ jugiter teneat animos occupatos atque rebus ſuis ſacris diſtentos, ne ex otio & affectibus

Vid. Jer. c. vii. 22, 23.

Digitized by Google

fectibus ſuperſtitioſis in idololatriam deflectant. Hinc legi ſuæ puræ & ſimplici multitudinem rituum adjunxit, utilium quidem in hunc finem, ſed aliàs in onus & gravamen; ita tamen adjunxit, ut ſub his umbris ſemper integra & illæſa maneret juſtitia naturalis & immutabilis. Flavius Joſephus, vir harum rerum conſultiſſimus, cùm

Antiq. decreta Cæſaris & Præſidum Romanorum in

Jud. l. 16. gratiam data gentis Judaicæ expoſuiſſet, in

c. 10. ſuæ Legis defenſionem hæc ſubjungit, Ἔθεσι μὲν γὰρ οὐδέν ἐστι γένος, ὃ τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ χρῆται κατὰ πόλεις, ἐσθ' ὅπη πολλῆς ἐγγινομένης τῆς διαφορᾶς, τὸ δίκαιόν δε πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως ἐπιτηδεύει, λυσιτελέστατον ὄν, ἕλλησίν τε καὶ βαρβάροις· οὗ πλεῖστον οἱ παρ' ἡμῖν νόμοι λόγον ἔχοντες, ἅπασιν ἡμᾶς εἰ καθαρῶς ἐμμένοιμεν αὐτοῖς, εὔνους καὶ φίλους ἀπεργάζονται· διὸ καὶ ταῦτα παρ' ἐκείνων ἡμῖν ἐπαιτητέον, καὶ δέον οὐκ ἐν τῇ διαφορᾷ τῶν ἐπιτηδευμάτων οἴεσθαι τὸ ἀλλότριον, ἀλλ' ἐν τῷ πρὸς καλοκἀγαθίαν ἐπιτηδείως ἔχειν· τοῦτο γὰρ κοινὸν ἅπασιν, καὶ μόνον ἱκανὸν διασώζειν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον. *Moribus quidem nulla gens iiſdem utitur perpetuò, ſed oppidatim ferè in his fit mutatio aut differentia: Juſtitia autem omnibus hominibus ex æquo competit, res utiliſſima tam Græcis quàm Barbaris, cujus maxima in noſtris legibus habetur ratio, nóſque omnibus, modò eas inviolatas ſervemus charos ac amicos poteſt reddere. Quamobrem rogatos omnes volumus, ut non tam nos ob diverſum vitæ genus horreant, quàm complectantur ob veræ virtutis ſtudia. Hæc enim communis eſt omnibus, & ſine hâc non poteſt humana vita conſiſtere.* Rectè diſtinxit id quod ſingulare eſt in hàc aut illâ Religione ſive lege ſacrorum, ab eo quod com-

Digitized by Google

commune eſt omnibus. Hoc τὸ δίκαιον & τὸ καλοκἀγαθὸν appellat, quod ubique eſt obſervandum. Idem ſentiunt omnes cordatiores Judæi de hoc delectu & diſcrimine rerum in Lege ſuâ conſtitutarum.

Prophetæ * præterea, qui Moſem ſequebantur, idem rerum ſive juſſarum in Lege, ſive prohibitarum diſcrimen tradiderunt & inculcârunt. Majoris ubique æſtimant pretii & valoris juſtitiam, probitatem, miſericordiam, aliáſque dignitatis innatæ virtutes, quàm ſacrificia & victimas, aut ritus quoſcunque, à Deo licèt inſtitutos. Multùm verſantur, ut notum eſt, in hoc argumento Prophetæ, & cum magnâ verborum vi & copiâ: Deúmque introducunt quandoque indignanter & cum faſtidio rejicientem hæc quaſi ſuperflua aut præ cæteris nihili facienda. Vide quæ Propheta *David*, quæ *Iſaias*, *Jeremiah*, *Hoſeas* & *Micah* hàc de re differunt: & cum Judæis ſuperſtitioſis, quaſi injurias Legi factas vehementer expoſtulant, *Pſalm.* l. *Iſa.* i. 11, *&c.* *Jer.* vi. 20. *Hoſ.* vi. 6. *Mich.* vi. 6, *&c.*

Denique, ut olim Prophetæ, ita Chriſtus, Mat. xxiii.
Legis Moſaicæ ſupremus Expoſitor, hanc di- 23. & xii.
ſtinctionem rerum, magìs minúſve ſacrarum, 7. Luc. xi.
neglectam aut malè cuſtoditam Judæis ſæpi- 39, 40, 41. Mat. v.
ùs objecit & exprobravit. Quæ in ſe & ſem- 23. 24.
per bona ſunt Τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου appellat, *Legis graviora capita*, quæ præponderant aliis

* Vide Maimon. Mor. Nev. p. 3. cap. 32. *Non aliud Gentes prudenti..es.* Lactant. lib. vi. c. 8. p. 525.

omnibus, innocuis licèt & Lege externâ & temporariâ conſtitutis. Quúmque ritualibus ſuis inhærerent Judæi poſthabitis his primariis, ídque ſub religionis prætextu, hypocriſis eos arguit Chriſtus, malúmque iis & triſtes iras denunciat, irritum Dei verbum facientibus. Ita comparata erat Lex Judaica reſpectu naturalis; de Chriſtianâ jam dicendum.

Mat. xxiii. 14. Mar. vii. 11, 12, 13.

Dixit Chriſtus ſe veniſſe *non ad diſſolvendam Legem Moſaicam*, ſed ad *implendam. Mat.* v. 17. Quomodò verò implevit? Quam Legem non diſſolvit? Legem Ritualem penitùs diſſolvit & abolevit: Teſte Apoſtolo ad Epheſios (*c.* ii. 15.) & alibi ſæpiús. *Τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας, Legem præceptorum in ritibus abolens.* Quinetiam res ipſa loquitur, exolevit & evanuit Lex Judaica inter Chriſtianos, aliter non eſſent Chriſtiani ut à Judæis diſtincti. Sed evanuit ut fugiunt umbræ ad lucem Solis. Utcunque quæres, quid demum non diſſolverit Chriſtus? Quam partem conſervârit? Dico, partem ipſius moralem, naturalem, æternam: adeóque præſtantiorem & principalem, quæ ex mente Legis & Legiſlatoris erat inſtar totius. Cætera typica & adumbrata explevit quidem, & explendo delevit: ſed partem hanc diviniorem adeò non extinxit, ut eandem ſtabilierit, promoverit perfeceritque. Ita loquitur de Evangelio Apoſtolus, cùm ipſius materiam finémque explicat, *Tit.* ii. 11, 12, 13. *Illuxit gratia illa Dei ſalutaris omnibus, erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus,* tem-

temperanter, & juſtè, & piè vivamus in præſenti ſæculo. Expectantes beatam illam ſpem & illuſtrem illum adventum gloriæ magni illius Dei, ac ſervatoris noſtri, Jeſu Chriſti. Qui dedit ſemetipſum nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibiipſi populum peculiarem, accenſum ſtudio bonorum operum. Hic ſcopus, hic fructus Evangelii.

Jubet nos Chriſtus ut ad perfectionem aſpiremus: ut Deum imitemur, tam bonitate quàm ſanctitate & puritate. Jubet nos inſpicere ipſum fontem lucidum Boni, Pulchri, Juſti ſanctíque, ut divinæ imagini conformes ſimus, divinæ naturæ participes. Hic eſt noſtræ, omnı́ſque veræ religionis apex: Nihil dici poteſt aut cogitari ſublimius quàm aſſimilatio ad primum & archetypum Bonum, Deum Optimum Maximum, infinitè perfectum. Prætereà, tam Chriſtus quàm Apoſtoli pietatem externam, ritúſque omnes parvi faciunt præ mentis interiori habitu, & renovatione animi ad imaginem Dei & primævam rectitudinem. Plurima ſunt, ubique ſparſa in Canone Chriſtiano, perſpicuè tradita ut neminem latere poſſint, hujuſmodi monita & præcepta. Denique, hæc omnia ſummatim & per ἐπιλογισμὸν recolligit Apoſtolus ad Philippenſes, his verbis, *Quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque juſta*, (ſive ex lege naturæ, ſive gentium, ſive noſtrà) *quæcunque ſancta* aut pura, *quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ & nominis* apud omnes; *Si qua virtus*, vel quod in cenſu vir tutum apud probos habetur; *ſi qua laus* aut laude dignum & ſapientûm approbatione

Mat. v. 45. 1 Joh. iii. 3. Cap. iv. 8.

batione, *hæc cogitate*; Hæc animo recolite, & in his vos exercete. Hæc recapitulatio Apoſtolica, ſub variis titulis & nominibus omnes complectitur veritatis & perfectionis æternæ rationes, quas humano pectori inſevit natura, & conſenſus univerſalis prudentum ſtabilivit. Atque ex horum omnium ſtudio & exercitio viri Chriſtiani officium conſtituitur.

Hactenus de religione Judaicâ & Chriſtianâ, quas in naturali fundatas vidimus. Supereſt Religio Gentilis, quæ quidem dici ſolet *naturalis*, quòd nullam habeat adjunctam Revelationem aut inſtitutionem divinam: ſed reverà alieniſſima eſt ab illâ religione naturali, cujus aliqualem dedimus ideam in ſuperiori capite. Diſtinguendum igitur inter religionem naturalem puram & impuram: puram nudámque deſcripſimus, ut ſinè ornatu, ita ſinè maculis. Sed multis modis impura eſt illa religio quæ olim obtinuit apud gentes, & etiamnum obtinet aliquatenus: tot vitiis obducta & ritibus inſanis, ut in eâ ſuffocari videantur tam pietatis quàm virtutis ſemina. Sed ut hæc æquo jure expendantur, ſtatum ipſius, ſi placet, pauliſper inſpiciamus, ſive in peſſimis, ſive mediocribus erroribus. Primò quoad Numen vel Numina quæ coluerunt: Dein quoad cultum & ritus: Denique quoad mores & vitæ futuræ notitias.

Jam receptum eſſe videtur apud eruditos, Gentes inter tot ſua Numina, unum ut ſummum & altiſſimum coluiſſe. Neque aliter fieri

Digitized by Google

fieri potuit, ſi rem cum ratione perpendas. Innumeros enim Deos, ſingulos ſupremos, concipere non licet: quòd ſi ordines aliquos conſtituas, inferiores & ſuperiores, ad ſummum ordinem tandem perveniendum eſt. Nec in eo ordine fas eſt plures fingere inter ſe æquales: Plura enim infinitè perfecta, & per ſe exiſtentia, conſiſtere non poſſunt, ſecundùm mentis noſtræ dictamina. Sed Gentibus utcunque id vertitur vitio, quòd præter hunc ſummum Deum, alios inferiores colerent. Nec apud vulgus tantùm id in uſu erat, ſed à Philoſophis etiam & ſapientibus approbatum. Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, *&c.* dicunt Pythagorei, nec aliter Platonici, cæteríque. Nobis quidem Chriſtianis, ut olim Judæis, vetitum eſt quicquam colere præter ſummum Deum: iis autem qui ſolo gaudebant naturæ lumine non habitum eſt nefas, debito honore & veneratione proſequi ſingulos rerum intellectualium ordines, pro ſuo quemque gradu, ſtatione & dignitate; Diſpari autem modo & affectu, ratione ſemper habitâ ad Deum ſummum, omnium auctorem & moderatorem. Hoc, inquam, non vetat naturæ lumen. Nihilominus cùm nihil iis certò conſtaret de Numinibus illis intermediis, tutius fuiſſet ſoli Deo Optimo Maximo ſacra facere, vota nuncupare & preces fundere, quàm à Diis ignotis auxilium petere, & in auras ſpargere voces inanes.

Plat. in Epinom. m. p 984. de Leg. l. 4.

At dices, forſan, Dii gentium non erant prorſus ignoti, Solem, Lunam, & Sidera cœli adorabant, numina aſpectabilia & notiſſima,

tiſſima. Rectè quidem notiſſima, quatenus prægrandia & glorioſa corpora, ſed quòd Numina eſſent & adoratione digna, illud haud compertum habuere ipſi illi cultores. Credebant utique & perſuaſum habebant quomodocunque, ſtellis ineſſe ſuas Mentes, Animáſve aut Intelligentias: illuſtres ſinè dubio & quodammodo divinas. Experiebantur etiam cœli dona quotidiana, amicam lucem & beneficos Solis radios, quibus vigent & animantur hæc inferiora. Neque aliter ſe poſſe putabant aut tantam majeſtatem dignè revereri, aut gratias referre pro tantis beneficiis, quàm colendo, Deorum ritu, hæc cœleſtia Luminaria.

Hæc ſpeciem habent excuſationis qualiſcunque, non autem legitimæ defenſionis robur. Levibus conjecturis non innitendum eſt in rebus quibuſcunque gravioribus, & in ſacris præcipuè nihil temerè tentandum, nè incidamus in Idololatriam aut vitioſam ἐθελοθρησκείαν. Utcunque non tam gravis fuiſſet gentium error, ſi nihil præter exercitum Cœli & Deos ſuos immortales coluiſſent. Sed homines mortuos, & animalia bruta: nec bruta tantùm, ſed vilia & fœda in Deorum cenſum adſcripſere. *Mutârunt*, ut inquit S. *Paulus*, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.* Ut homines mortales & caducos, vitâ defunctos, in numerum Deorum efferebant, ita poſitâ omni verecundiâ, Animantia, réſque inanimes inſtar Numinum venerari gentes nonnullas non pudebat: Confuſis rerum na-

turis

Digitized by Google

turis in opprobrium Divinitatis & in dedecus rationis humanæ.

Sed præter hæc monſtra Deorum & hos Deos minuſculos, Diis ſuis majoribus tam fœda, quàm abſurda imputare non erubuerunt: turbantes ex utrâque parte rerum ordinem, elevando res viles in loca cœleſtium, & deprimendo naturas cœleſtes ad indignitatem & vitia inferiorum. Mares & fœminas, (animalium inſtar) Deos Deáſque & ſexuum diſcrimina inter ſua Numina conſtituere: & concubitus & adulteria, aut quæcunque laſciviosi homines pecudéſve perpetrant, ſinè pudore ad cœlicolas tranſtulerunt. Ita cœlum & terram miſcentes, cum infimis ſumma & ſummis infima, hanc rerum naturam & Dei providentiam in Chaos quoddam reduxerunt.

Et quemadmodum Deos ſibi fingebant Gentes minimè divinos, ita in iiſdem colendis ſacra minimè ſacra inſtituerunt. Paria paribus, ritus ſcilicet aut turpes, aut cruentos, aut viles & futiles. Adeò cæcutit circa res divinas in hujuſce vitæ caligine, ſaltem vulgus hominum, tantiſque erroribus eſt obnoxium. Neque tamen naturæ humanæ hoc penitùs imputandum. Hujuſmodi enim erroribus ſerendis, fovendis, augendiſque apud Gentes, malos interfuiſſe Genios, & non parum operæ contribuiſſe, nihil quicquam dubito.

His

His autem quibuſcunque non obſtantibus, in Theologiâ Gentili, & nonnunquam in moribus Ethnicorum vis Legis naturalis eluxit. Turpis & honeſti, æqui & iniqui ſi-
Cap. ii. 14, 15. da diſcrimina. Id teſtatur S. *Paulus* ad *Romanos: Quum Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturâ quæ legis ſunt faciant: Iſti legem non habentes, ſibiipſis ſunt Lex. Ut qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, unà teſtimonium reddente ipſorum conſcientiâ, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus aut etiam defendentibus*. En radicem pietatis & virtutis, conſcientiam naturalem: non extinctam quidem prorſus inter Gentes, ſed à ſuperſtitioſo & impuro cultu, quem malus Dæmon invexerat, apud plures pernimiùm corruptam: inter nonnullos autem cordatiores, quos minùs inficere ſolet cultus externus, aliquatenus vigentem. Et quemadmodum Judæi, additamentis, aut in parte legis ſecundariâ hærentes, quum vim ipſius ſcopúmque præcipuum obſcuráſſent, & quaſi obtudiſſent, moniti ſunt à Prophetis de momentis maximis & primariis Legis, præ quibus ſordent cætera: Ita Philoſophi, & quandoque Poëtæ philoſophantes admonuere Gentes, multa licèt in Templis acta fuerint cum pompâ, & à vulgo magni habita, Diis placere maximè animum purum, æqui boníque tenacem.

Compoſitum jus fáſque animi, ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto,
Hæc cedò ut admoveam templis, & farre litabo.

Nec

Nec minùs alii Ethnicorum vates, velut afflatu divino exciti, his ſimilia profuderunt effata. Dein in philoſophorum ſcriptis, nobiliorum claſſium, nihil frequentiùs occurrit quàm hujuſmodi monita & præclara documenta. Sed in his legendis ne quid tædii ſit ſeorſim nonnulla velut in * ſpecimen & prælibationem apponemus.

E Hac-

* *Porphyrius* hoc argumentum multis proſequitur, *l.* 2. περὶ ἀποχ. & perorans tandem ſic ſtatuit. Θεοῖς δὲ ἀρίστη μὲν καταρχὴ νοῦς καθαρὸς καὶ ψυχὴ ἀπαθής. *Diis autem acceptiſſima initiatio aut libatio mens pura, atque Anima perturbationis expers.* Dixerat antea non minùs rectè, Δεῖ ἄρα συναφθείσας καὶ ὁμοιωθείσας αὐτῷ τῶν αὐτῶν ἀναγωγὴν θυσίαν ἱερὰν προσαγαγεῖν τῷ Θεῷ.——ἐν ἀπαθεῖ ἄρα τῆς ψυχῆς τῇδε δὲ τοῦ Θεοῦ θεωρίᾳ ἡ θυσία αὕτη τελεῖται. m. p. 78. *Oportet igitur ei conjunctos & aſſimilatos, ſuorum mores & vitam, veluti pium ſacrificium Deo exhibere.* Hoc autem ſacrificium in *contemplatione Dei, ab Animâ affectibus liberâ perficitur.* Idem aliàs repetit & inculcat ſæpius. *Hierocles ad Aur. Carm.* idem argumentum tractat ſub initio, ubi inter alia hæc habet, ἡ τῶν προσφερομένων πολυτέλεια τιμὴ εἰς Θεὸν οὐ γίνεται, εἰ μὴ μετὰ τοῦ ἐνθέου φρονήματος προσάγοιτο. δῶρα γὰρ καὶ θυηπολίαι ἀφρόνων, πυρὸς τροφὴ, καὶ ἀναθήματα ἱεροσύλοις χορηγία. Τὸ δὲ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς ἡδρασμένον συνάπτει Θεῷ,——ὁ προηγουμένως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ νοῦν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων, &c. *Oblationum ſumptuoſa profuſio honori Deo non cedit, niſi mente Deo plenâ offeratur. Dona ſiquidem & Hoſtiæ ſtultorum hominum nihil aliud ſunt quàm ignis pabulum: & donaria, ſacrilegorum opes. At divinus animus bene ſtabilitus, conjungit atque unit Deo.——Is qui ſeſe imprimis victimam offerens ſuúmque animum ſimulacrum divinum vel Dei ſedem faciens,*

Digitized by Google

Hactenus de religione Judaicâ, Chriſtianâ, & Ethnicâ. De Mahometanâ non opus eſſe videtur ut quicquam adjiciamus; quum notum ſit, nihil habere egregii illos ſectatores Mahometis (Impoſtoris voluptuarii & armati) præterquam quòd unum Deum colant & juſtitiam naturalem. Colunt, inquam, juſtitiam naturalem, vel colendam prædicant, & ipſius cultores haberi volunt. Cætera eorum dogmata Judaiſmum ſapiunt & Epicureiſmum, cum abſurdis & inſulſis narratiunculis interſperſis. Quòd unicum Numen venerentur Mahometani & ſacra omnia Paganica, aut Pagano-Chriſtiana reſ-

faciens, mentem quoque ſuam ad divini luminis ſuſceptionem Deo ipſi Templum conſtruit & præparat. Hæc quæ tantopere accedunt ad doctrinam Chriſtianam, tam verbis quàm ſententiâ, productiora licèt, non piguit adſcribere. Rectè dixit *Marcus Antoninus* (τῶν εἰς ἑαυτ. l. 10.) οὐ κολακεύεσθαι θέλει ὁ θεός, ἀλλ' ἐξομοιοῦσθαι ἑαυτῷ πάντα τὰ λογικά. *Non ipſi adulari, ſed ei ſimiles fieri vult Deus omnes naturas rationales.* Illam utique ὁμοίωσιν θεῷ, *Deo conformitatem aut aſſimilationem* celebrant ubique Philoſophi, ut religionis apicem. Apud præfatum Hieroclem hoc ſæpius occurrit, idque ſecundùm Platonem: Is enim monet in *Theæteto*, Tum demum exitum fore miſeriis mortalium, cùm ad Deos fugerint & Diis ſe aſſimilaverint, φυγὴ δὲ, inquit Ille, ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι μετὰ φρονήσεως. *Fuga autem eſt, ut Deo, quàm proximè fieri poterit, aſſimilemur atque conformemur: Deo autem nos aſſimilat juſtitia & ſanctitas cum ſapientiâ conjuncta.* Cum aliis quæ ſequuntur hîc & alibi apud Platonem cognatæ indolis Denique præmia & pœnas conſtituunt juſtis & injuſtis: aiúntque virtutem eſſe viam ad veram ſempiternámque felicitatem, vitium ad infelicitatem. Sed de his ſatis.

puant

Digitized by Google

puant & abhorreant, illud laude dignum eſt. Quúmque Moſem Chriſtúmque pro veris Prophetis habeant à Deo miſſis, neceſſe eſt commune cum iis fundamentum pietatis & religionis amplexentur. Quod in utrâque œconomiâ non aliud eſſe oſtendimus, quàm æternas boni & mali, turpis & honeſti rationes & diſcrimina. Quibus alia quidem appoſita ſunt aut intertexta mediæ conditionis pro ratione temporum & populorum : ſed eo ſemper conſilio ut veræ pietati & virtuti ſuus conſervetur honos, hominéſque gradatim ad ſummam perfectionem evehantur.

Hæc commentati ſumus breviter ad oſtendendum Religionem ſtatam qualemcunque & ubicunque receptam, pro ſubſidio & origine habuiſſe religionem naturalem : Recti & pravi, turpis & honeſti diſtinctionem & prænotiones. In religione revelatâ potiſſimùm conſtat idem hoc ei ſubeſſe fundamentum : Ipſius enim authoritas pendet partim à qualitate materiæ ſubſtratæ, partim à veracitate Revelantis: quorum neutrum abſque his notitiis præeuntibus probari poteſt. Sítne ſancta & pura doctrina quævis revelata judicare nequimus, niſi ex ideâ aut definitione aliquâ ſanctitatis præconceptâ, tanquam normâ aut regulâ judicii ferendi. Dein, de fide & veracitate Revelantis ſi inſtituatur quæſtio, non decidenda eſt à verbis aut nudâ affirmatione Revelationis ipſius, de ejus enim authoritate dubitatur adhuc: ſed ex præcognitis de naturâ & perfectionibus

Digitized by Google

nibus Dei, authoris propoſiti. Et ab his præſenſis & præconſideratis doctrinæ revelatæ fides & certitudo ſtabiliuntur.

Denique, Hæc quum ita ſe habeant per omnia genera & exempla, manet fixum ratúmque quod ab initio diximus. Religionem naturalem alterius cujuſcunque ſuperinductæ eſſe fundamentum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

De Religione Judaica ſpecialius; ipſius authoritate & utilitate multifaria.

HACTENUS quid ſit ſacrum & ſincerum quæſivimus in religione univerſâ. Quærendum proximè, quo jure, vel quâ de causâ legitimâ recedatur à ſimplicitate religionis naturalis & univerſalis: quemadmodum receſſum videmus, tam ab Ethnicis quàm à Judæis & Chriſtianis. Cùm verò religionem naturalem appellamus *ſimplicem*, cultum externum non propterea abdicamus aut excludimus, modò caſtus ſit & ad Deum Opt. Max. dirigatur: prout ſuprà capite ſecundo dictum eſt. Sed cùm ſuperadduntur alia, tam ritus multifarii, quàm dogmata, quæ non enaſcuntur à ratione naturali, quæritur meritò quâ authoritate, divinâ aut humanâ: recto vel malè uſurpato jure, Hæc nobis adſcititia imponantur, tanquam ad ſalutem humanam neceſſaria.

Ad Religionem Paganicam quod ſpectat, preterquam quòd nullam habeat divinæ authoritatis ſpeciem, præter ficta quædam commercia cum Diis aut Deabus ignotis, ipſius inſtituta ſæpe ſunt inhoneſta, impura, aut frivola: qualia nec decent Numina, nec homines probos & ſapientes. Adeò ut videantur potiùs ad obſcurandam gloriam ſummi & ſanctiſſimi Numinis introducta, & ad

ad abutendam religionis nomine in corrumpendis moribus humanis, quàm ad pietatis & probitatis augmentationem. Hæc autem & hujuſmodi inſtituta peccant in regulam primariam de ordinandis ritibus & cultu externo, nimirum ut in iis nihil recipiatur, quod minuat dignitatem ſummi Numinis, aut bonis moribus ſit contrarium. Quantum verò in utràque parte peccaverit Ethnicorum religio, à nobis præmonſtratum eſt paucis, & ab aliis multo fuſiùs: ut non opus ſit iis hìc accumulandis tempus impendere.

Succedit Religio Judaica: antiqua, & ſuâ antiquitate veneranda. Hìc quærendum, ut in cæteris, primò, quâ authoritate inſtituta & introducta fuerit: Dein quibus legibus & ordinationibus conſtiterit. *Moſem* habuit Legiſlatorem, ut notum eſt, virum maximum, & ab omni ævo celebratum: Sed quâ authoritate nixus ſit *Moſes*, propriâ aut divinâ, quæres forſan: & quibus actis aut teſtimoniis irrefragabilibus authoritatem illam ſuſtinuerit. Dico breviter, *Moſes* ut ſemper allocutus eſt populum Iſraeliticum nomine ſummi Dei, ita miſſionem illam, vel Legationem divinam, multis maximiſque miraculis oſtendit & confirmavit.

Sed cautè mihi forſan ita reſpondebis: Hæc quidem miracula, modò vera ſint, & verè divina, ſatis habere virium & roboris ad ſtabiliendam authoritatem *Moſis*, ipſiúſque Legem. Sed Colloquia illa cum Deo, quum privata fuerint, & ſinè teſte, pro fictis haberi poſſunt; Et quod ſpectat ad miracula

Digitized by Google

racula ſua publica, non minùs facilè dici poteſt, ea præſtitiſſe *Moſem* artibus magicis, in quibus præcelluiſſe fertur. Fateor in more fuiſſe nonnullis Legiſlatoribus Colloquia fingere cum Numine hòc aut illo, quo ſibi & legibus ſuis reverentiam & authoritatem conciliarent. Sed Legiſlatores illi nulla publica edidere miracula ad fidem faciendam ſuis privatis. *Moſes* autem, tam in Aulà *Pharaonis*, ſpectantibus Ægyptiis adverſariis, quàm poſtea ſpectante toto populo Iſraelitico, repetitis vicibus, miracula peregit inſigniſſima. Atque eo nomine in hiſtoriâ ſacrâ præfertur & præluxiſſe dicitur omnibus àliis Prophetis. *Non ſurrexit* Deut.
prætereà Propheta in Iſraele par Moſi, quem cog- xxxiv.10.
noverit Jehova ad os. Tum omnibus ſignis & 11, 12.
prodigiis quæ miſerat eum Jehova facturum in terrâ Ægypti, contra Pharaonem, & contra omnes ſervos ejus, totámque terram ejus. Tum omnibus operibus manûs fortis, & omnibus operibus terribilibus maximiſque, quæ fecit Moſes ante oculos totius Iſraelis. Qui verò apertè & teſtatiſſimè tot ſigna, prodigia, miracula ediderat, nulla erat ratio dubitandi de ipſius fide cùm ſe à Deo miſſum eſſe dixit, & ex ore Dei hanc ſibi mandatam provinciam accepiſſe. Et quis, quæſo, vir privatus, niſi conſilii inops, aut potiùs furibundus, Regem magnum adiret, ut populum ei captivum per multos annos è ſuâ poteſtate evelleret, propriis viribus aut proprio nomine? Non erat vir rapidi & ferventis ingenii *Moſes*, at circumſpectus, prudénſque rerum adminiſtrandarum: Et niſi perſuaſiſſimum habuiſſet, certiſſimúmque, hoc illi penſum,

hoc

Exod. iii. hoc negotium, hujuſce rei curam, à Deo demandata fuiſſe, tantum onus cum vitæ periculo nunquam fuiſſet ſubiturus. Diu quidem, multúmque obnixus eſt & reluctatus in illo munere ſuſcipiendo: Cautè ſe geſſit, timidéque, multa rogitans, & ſubdubitans: ſe etiam cauſatus eſt tantæ provinciæ obeundæ imparem & inhabilem. Denique de nomine & jure Numinis delegantis quædam curioſiùs quæſivit. His dubiis omnibus cùm ſatisfactum eſſet, in Ægyptum profectus, delegationem ſuam à ſummo Deo ad liberandos regendóſque Iſraëlitas, tam illis, quàm Pharaoni expoſuit, firmámque & ratam fecit multifariis miraculis: Primùm in Ægypto, dein in tranſeundo mari, poſteà in Eremo & itinere Iſraelitarum ad Montem Sinai. Ubi Legem dedit de quâ agitur, non ſinè pompâ ſolenni & Angelicâ, cœlo & terrâ concuſſis. Hæc autem cùm notiſſima ſint ex hiſtoriâ ſacrâ (cui nulla eſt coæva, nedum antiquior) ubi dilucidè narrantur, iis ſigillatim repetendis hìc ſuperſedendum.

At hæc omnia, non vi cœleſti, ſed præſtigiis aut artibus magicis attribuis. Quod tu ſuſpicaris de malis & magicis artibus, id memini objectum Chriſto a Phariſæis, ac ſi iiſdem uſus eſſet in ſuis miraculis efficiendis. Quid autem his reſpondet Chriſtus? *Omne regnum diſſidens adversùs ſeſe, vaſtatur. Et omnis urbs aut domus diſſidens adversùs ſeipſam non ſtabit. Sed ſi Satanas Satanam ejicit, adversùs ſeipſum diſſidet. Quomodò ergo ſtabit regnum ejus?* Id pariter dicendum

Mat. xii. 24, &c.

cendum cenſeo in causâ *Moſis:* utpote qui totus erat in eo, ut Idololatriam & mala opera Dæmonum extirparet & extingueret. Non quidem univerſim per totum terrarum orbem, ut futurum erat temporibus Meſſiæ, ſed apud populum Iſraëliticum, veluti primitias Deo oblatas, & in exemplum Gentibus. Fingi autem non poteſt, ex conſenſu, aut conſilio, aut ope Dæmonum malignorum hæc ſibiipſis inflicta vulnera, aut ereptum dominium. Præterea, Magis, eorúmque copiis omnibus bellum apertè indixerat *Moſes* in Ægypto, & commiſſis prœliis obruerat & proſtraverat: ut nullus locus eſſe poſſit calumniæ cuicunque in eo genere, aut tenuiſſimæ ſuſpicioni in idem conſpiràſſe conſilium *Moſem* cum Magis, aut ejuſdem Numinis uſos eſſe utroſque potentià. Denique ut hujus inimicitiæ & diſcordiæ perpetuum maneret monumentum, Legem conſtituit *Moſes*, pœnâ mortis ſancitam, in omne genus Magos. Ab his igitur, artibúſque ſuis non abſtinuit tantùm, ſed omni modo abhorruit *Moſes.* Exod. vii. & viii. Lev. xx. 27. Deut. xviii. 10, 11, 12.

Hæc de perſonâ Legiſlatoris, & ipſius authoritate: ſed ipſam Legem culpabis forſan, materiam Legis, & formam cultûs ab ipsâ præſcripti, totámque adeò œconomiam Moſaicam, ac ſi eſſet inſtitutio rudis, craſſa, ſervilis, & minutiis onerata; in luſtrationibus & lotionibus externis, in diſcriminandis rebus mundis & immundis, & mactandis animalibus, tota ferè occupata. Nihil ſublime ſpirat, inquies, nihil cœleſte, nec ultra hanc vitam caducam proſpicit,

Digitized by Google

cit. Ad ſummum, videtur lex indigna Deo ſupremo, animíſque humanis inutilis. Fateor tibi S. *Paulum*, licèt Hebræum ex Hebræis, *R. Gamalielis* diſcipulum, & eruditum ad exquiſitam formam Patriæ Legis, duriuſcula quædam dixiſſe de Lege Moſaicâ: Ipſius ritus & ordinationes appellat *Carnales*, ad Judæos ſcribens. Atque alibi *infirma & egena rudimenta:* Ipsámque circumciſionem, antiqui fœderis ſigillum, acerbiuſculè quidem *Conciſionem* vocat. Hæc autem dicta velim intelligas partim comparatè ad religionem Chriſtianam, partim ad eos qui craſsè & externè tantùm ritus Moſaicos conſiderabant, propoſito, ſcopo, uſúque Legis primario, neglectis.

Heb. vii. 16. & ix. 10. Gal. iv. 9. Phil. iii. 2.

Interea ut æquum feramus judicium de Lege *Moſaicâ*, multa ſunt expendenda & dicenda ſuo ordine. Illud imprimis notandum, quod ſuprà diximus, eodem ſolido niti fundamento hanc Legem quo Leges optimæ: nimirum jure naturali, innatis & æternis animi humani principiis & rationibus, debitíſque ex naturâ rerum erga Deum & erga homines officiis. Hæc in Decalogo breviter & dilucidè complexus eſt *Moſes:* atque his ſubjecit reliqua omnia ſuæ legis ritualia atque jura ſecundaria. Præterea notandum, non id in conſiliis habuiſſe *Moſem*, ut Legem conderet ſuâ naturâ perfectiſſimam, ſed aptiſſimam & utiliſſimam pro ratione loci & temporis. Dein, non id ſibi propoſuit, ut eſſet Lex univerſalis, totius Terræ, ſed unius populi Iſraëlitici. Nec denique Lex in perpetuum duratura,

Digitized by Google

ratura, ſed uſque ad tempora Meſſiæ. Hæc ſi tecum perpenderis, non opus erit apologià aut patrocinio noſtro. Laudemus potiùs & admiremur virum illum maximum, Legiſlatorem conſultiſſimum, ſummúmque Dei prophetam, omne genus miraculis ſplendeſcentem. Quem vidit olim & obſtupuit Ægyptus Literatorum ſedes, triumphantem in ſuos Magos & Hierophantas. Quem omnes deinceps Gentes celebrârunt. Quem denique è cœlo deductum, in teſtem ſuæ gloriæ adſcivit Chriſtus. Hæ tibi erunt Laudes, prophetarum Princeps: hæc monumenta tuæ gloriæ, donec cœli & terra manſerint incolumes. Nec me pigebit intereà prefata capita percurrere, non ut excuſatum habeamus *Moſem*, ſed commendatiſſimum.

Mat. xvii. 3.

Dixi, non in animo habuiſſe *Moſem*, ut legem in ſe perfectiſſimam conſtitueret: neque univerſalem, neque æternam: ſed tempori populóque ſuo accommodatam. Hunc populum, è conſortio vitiíſque gentium eductum & ſeparatum, per hanc œconomiam intermediam ad legem perfectiorem, in diebus Meſſiæ promulgandam, diſponere & præparare ſtuduit. Hunc in finem, cùm viderit Idololatriam ubique diffuſam per terrarum orbem, eandémque noverit veræ pietatis peſtem, ac virtuti caſtíſque moribus inimiciſſimam, id ſibi credidit potiſſimùm curæ eſſe debere, ut hanc malorum omnium radicem evelleret aut excinderet. Quapropter UNUM ESSE DEUM, Cœli & Terræ Creatorem, Eúmque

unicè colendum, declaravit, edocuit, præcepit: Atque hoc documentum vel præceptum voluit eſſe primum in ſuâ Lege, ac veluti Baſin reliquorum. Dein ſtatuit, hunc unum Deum nullâ ſub imagine aut ſimulacro colendum eſſe: utpote inviſibilem & incorporeum, neque nullâ formâ externâ aut ſimilitudine repræſentandum. Nec hoc ſatis habuit, ſed ad munienda hæc præcepta, interdixit Judæis uſu imaginum & ſimulacrorum, non tantùm in religioſis, ſed etiam in re familiari aut communi; ut illecebras quaſcunque, aut initia malorum in hoc genere effugerent. Denique, Leges multas ſecundarias tulit de rebus adiaphoris, ut dicitur, quæ ſuâ naturâ nec turpes ſunt, nec honeſtæ: eo fine, ut nôrunt eruditi, quò gentium vicinarum Idololatrarum mores & conſuetudines ablegaret.

Hactenus ſinè omni labe optimè conſultum eſt rebus ſacris, & ſummi Numinis venerationi. Prætereà in cultu hujus unius Dei, quem inſtituit *Moſes*, ab omnibus aut fœdis aut cruentis ceremoniis, quas intermiſcuiſſent Gentes, religiosè abſtinuit. Nec parum eſt abſterſiſſe has maculas, expurgâſſe has ſordes è rebus divinis. *Eſt quiddam prodire tenus.* Populum eripere & ſegregare è colluvie Gentium, vitiiſque earum excuſſis, ad morum cultûſque honeſtatem componere.

His conceſſis, quid ultra quereris? Negari non poteſt ad hæc capita reduci poſſe, proximè aut remotiùs, plurima *Moſis* inſtituta,

Digitized by Google

ſtituta.Upereſſe tamen nonnulla forſan dices, quæ huc referri non poſſunt, nec idololatriam reſpicere videntur ullo modo. Sunt quidem nonnulla typica aut typicè inſtituta, quæ Meſſiam & res Meſſiæ adumbrant. Et proinde uſui eſſent & adjumento ad refricandam memoriam Judæis de Meſſiâ venturo: & ad eundem recognoſcendum ubi advenerit. Denique, ſunt aliæ forſan nonnullæ præceptiunculæ quæ ad has claſſes non poſſunt facilè revocari; nec forſan expeditè, liquidóque deſignari queant earum origines, cauſæ usúſve. Eſto, Hoc nemini, opinor, cordato mirum videbitur: Elapſis enim tot jam ſæculis ab illo tempore, quo Legem ſuam inſtituit *Moſes*, neſcimus hodie quis fuerit rerum & religionis ſtatus, ſive in Ægypto unde venerant Iſraëlitæ; ſive in Gentibus Canaaniticis, quò tendebant; aut denique in populis circumvicinis, aliíſve quibuſcunque unde contagio aliqua iis afflari potuiſſet. Hæc, inquam, cùm neſciamus magnâ ex parte: Quibus malis foras advenientibus occurrendum eſſet, quibus morbis populi adhibenda medicina, nihil miror nonnullorum præſcriptorum rationes & uſus à noſtro aſpectu obliteſcere. Ab iis autem monumentis quæ ſuperſunt adhuc, oſtenſum eſt à viris literatis, tam maxima, quàm minuta plurima Legis Moſaicæ ſuas habuiſſe occaſiones & momenta. Denique ut hoc iterum iterúmque repetam, id tibi ſemper memoriâ tenendum, nec Philoſophos fuiſſe plebem Judaicam, nec eos ab imis ad ſumma uno ſaltu propellere volu-

Vide Archæol. Philoſ. l. 2. c. 9. & 10.

Digitized by Google

voluiſſe *Moſem:* Sed placidè & gradatim, prout ferre poteſt natura humana, & divinæ providentiæ * conſilia.

Ad claudendam hanc diſſertationem de re Judaicâ, quæ dicta ſunt hactenus, paucis, ſi placet, recolamus. Quæritur, quid profuerit humano generi Lex Moſaica? Quibus uſibus inſervierit revelatio ad Judæos facta? Quæ neceſſitas aut utilitas iſtius œconomiæ? Reſpondeo, Lex Judaica erat primus § gradus ad reformandam gentem humanam: ſive prima machina ad amoliendam Idololatriam. Ante hanc Legem latam conſervàrat quidem Deus in nonnullis familiis Religionem naturalem puram ab Idololatriâ, ſed in totâ aliquâ gente nullibi ſtabilitam legimus. Cúmque poſtea latiùs è terrarum orbe exterminanda eſſet Idololatria, viſum eſt Providentiæ per hos gradus procedere, primò in familiis ſingularibus, dein per inte-

* Κατὰ καιρὸν πρὸς τὸ συμφέρον ἕκαστα οἰκονομεῖ ὁ Θεὸς, τὴν ἀσθένειαν ἑκάστης γενεᾶς διορθούμενος, S. Chryſoſt. in Pſal. cix. *Deus ſingula, prout convenit tempori, regit & adminiſtrat ad uſum & commodum, uniuſcujuſque generationis imbecillitatem dirigens.*

§ Καλὴ ἡ σελήνη ἀλλὰ κρείττων ὁ ἥλιος, ὥσπερ οὖν τῆς μὲν σελήνης καλῆς οὔσης, τοῦ δὲ ἡλίου κρείττονος, εἷς ἐστιν ὁ δημιουργός· οὕτω καὶ παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης εἷς νομοθέτης, ὁ σοφῶς καὶ προσφόρως, καὶ καταλλήλως τοῖς καιροῖς νομοθετήσας, Iſidor. Peluſ. l. 2. Epiſt. 133. *Pulchra eſt Luna, & Sol præclarior. Quemadmodum igitur & pulchræ Lunæ & præſtantioris Solis idem opifex eſt, eodem modo & veteris & novi Teſtamenti unus atque idem eſt Legiſlator, qui ſapienter, & ad tempora accommodatè, modò hoc modò illud agendo, leges tulit.*

grum

Digitized by Google

grum populum, tandem longè latéque per plurimas gentes unius Dei cultum conſtituere & conſervare.

Cum primùm inſtituit Deus Legem Judaicam, notum eſt ingemuiſſe ſub Idololatriâ totum mundum, omnes intelligo nationes Terræ; in quarum nonnullis barbaries quædam & exlex obtinuit, in ſingulis cultus impurus & idololatricus & euſque invaluiſſet hæc impietas, ſcelera, & omne genus nefas, ut è manibus veri Dei ereptus & avulſus videretur mundus, & ſub quâdam Dæmonocratiâ laborare. Genium illum malignum hìc intelligo, qui ſeſe in principem hujuſce ſæculi erexerat, atque res humanas adminiſtrare, tam ſacras quàm civiles, non ad ſalutem ſed in perniciem humani generis, in conſiliis habuit.

Rebus ſic ſe habentibus, prodiit tandem, enituit, & ſeſe præſentem potentémque monſtravit divina providentia, rerúmque habenas relaxatas reſumpſit: Idque modo ſingulari & extraordinario, prout decuit Numen ſummum. Populum deſpicatiſſimum, ſinè Lege, ſinè Duce, ſinè Patriâ; Captivum & in ſervitutem reductum ſub imperio & tyrannide Regis magni, per ſuum Legatum *Moſem* ſibi aſſeruit, & ut ipſi proprium, nomine *Jehovæ*, vendicavit. Denique, extorſit hunc populum è manu Pharaonis (id enim nomen erat principi qui dominabatur iis) iterum iterúmque reluctantis. Nec tantùm invito Pharaone, ſed etiam malo Dæmone, omnibúſque artibus Magicis. Extorſit, inquam,

per

per repetita miracula, atque huic populo liberato, redempto, & ſibi, ut ita dicam, appropriato, Legem dedit: non quidem abſolutè optimam aut omnimodè perfectam; ſed ab idololatriâ cæterarum gentium expurgatam, & pro ratione temporum & populorum accommodatiſſimam. Eo interim modo primum & grave vulnus inflixit Idololatriæ Gentili, & ſe Naturæ Dominum, & Diis omnibus gentium ſuperiorem demonſtravit.

Præterea, Revelatio ad Judæos facta maximi erat momenti, uſûſque & ponderis in aperiendâ doctrinâ de Meſſiâ venturo, & ad eandem conſervandam. Meſſiæ promiſſi lux quædam tenuis apparuerat ante tempora *Moſis*, ſed in œconomiâ Judaicâ, præter illuſtriora eâ de re addita promiſſa, ipſius cultûs pars maxima ad Meſſiæ ſtatum alludere, aut eundem præſignare videbatur. Prophetæ etiam identidem excitati, præcones erant aut prænuncii Meſſiæ venturi: atque novæ diſpenſationis divinioris prædixerunt excellentiam & privilegia: ut præparatis auribus animiſque doctrina Evangelii faciliùs omnibus illaberetur. Deo inter homines naſcituro, Perſonâ divinâ, cujus humeris innixurum eſſet mundi imperium, rei tam ſingularis & mirabilis tantique momenti, notitiam aliquam præmittere oportebat: ne gentem humanam, tale nihil opinantem, opprimeret & obſtupefaceret rei ipſius novitas. OEconomia Chriſtiana, ſi rite rem expendas, vix potuit eſſe prima; Prima in-quam, in *executione*: erat enim prima & præci-

Vid. Maimon. Mor. Nevoc. par. 3. c. 32.

præcipua in *intentione*. Res magnæ non conficiuntur unico ictu, nec ſaltu aſcenditur ad perfectionem, ſed per gradus & quâdam pædagogiâ. Cùm Deus introducturus eſſet in mundum Filium ſuum unigenitum, præmonitione opus erat & præparatione, ut à ſuis aut ab alienis reciperetur. Placuit proinde Deo, & gentem & genealogiam orituri Meſſiæ præſignificare, aliiſque rationibus quamplurimis oſtendere & tempus natalium & modum, & perſonæ & doctrinæ ipſius characteres: quò meliùs, ubi apparuerit, dignoſceretur. Quòd ſi meminerimus in myſterio Meſſiæ verti cardinem providentiæ circa res humanas, quantum debemus monumentis Hebræorum, quantíque ſunt ponderis, ex hôc uno capite neceſſe eſt fateamur,

Alia ſunt denique, quæ nos latent, Dei conſilia circa primæ illius œconomiæ rationes & momenta. Profuiſſe multùm ad conſervandos rerum, gentium. Temporúmque ordines, uſque ab origine mundi, manifeſtum eſt. In Archæologiis Ethnicis omnia ſunt confuſa, diſtorta aut deperdita, & ab hàc revelatione in ſtudiis noſtris inſtituendis, tam ſacris quàm humanis, lucem opémque mutuamur. Denique eſt quoddam ſpeculum univerſalis Providentiæ: quam ſcilicet unam & eandem eſſe monſtrat, quæ rexit priora, regitque hodierna ſæcula: ſemper ſibi conſtans, omnia complectens & manu tenens, ſive ante-Moſaica, ſive Judaica, ſive Chriſtiana: catenata invicem atque

Digitized by Google

alia aliis ſubordinata. His modis omnibus, aliiſque qui meditantibus occurrent, Diſpenſatio Judaica eſt præſidium & fulcimentum Religionis Chriſtianæ. Ad hanc proinde jam rectà pergamus, alterâ, quantum ſatis eſt, perluſtrata.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

De Lege Chriſtiana, cum aliis comparata: & de ipſius indole & Authore.

HACTENUS diverſas Religionis formas, Naturalis, tam puræ quàm impuræ: Primæque divinitùs inſtitutæ ſub *Moſe* Prophetà & Legiſlatore, pro ratione propoſiti noſtri breviter inſpeximus. Sequitur Lex ſive Religio Chriſtiana, omnium quas hactenus vidit gens humana divinitùs aut humanitùs inſtitutarum optima & præſtantiſſima. Utpote quæ non tantùm pura & immunis eſt ab omni labe ſuperſtitionis aut idololatriæ, ſed etiam à ſuperfluis & inutilibus ritibus libera. Excuſſis gentium ſordibus, erroribus & fabulis, atque illo onere & farragine ceremoniarum quibus luxuriabat inſtitutio Judaica, viſum eſt Providentiæ, progrediente mundi ætate, gentem humanam ad ulteriorem uſque perfectionem promovere; tam per notitias rerum divinarum vitæque futuræ clariores, quàm per cultum magìs intellectualem, morum & virtutis inſtituta nobiliora. Propterea Lex Chriſtiana non tantùm poſtulat honeſtatem & innocentiam foràs, ſed etiam probitatem integram, ſanctimoniam interiorem, cordis munditiem, renovationem animi ad ſimilitudinem & participationem naturæ divinæ. Denique voluptatum & vanitatum hujuſce mundi fugam, vitæque hodiernæ & bono-

Digitized by Google

bonorum præ futuris contemptionem. Hæc generatim. Dein ſingulis hominum officiis in vitâ communi proſpicit: tam Magiſtratûs quàm populi, tam ſuperiorum quàm inferiorum. Bono publico conſulit ubique, fidémque jubet in commerciis incorruptam. Præterea animos omnium ad pacem componit, & benevolentiam non modò in amicos & vicinos, ſed in totam gentem humanam, & in miſeros miſericordiam ſuadet imperátque. Denique id agit, ſingulatim & univerſim, ut placidè & tranquillè, cum omni pietate & morum honeſtate hìc vivatur: & in vitâ futurâ beatitudine fruamur ſempiternâ.

Si conferatur hæc inſtitutio Chriſtiana cum Lege Judaicâ aut Philoſophorum diſciplinâ, hâc commodiùs aut efficaciùs, illâ pleniùs & perfectiùs ad veram pietatem, virtutem & felicitatem, monſtrat viam. De lege Judaicâ dilatandâ & perficiendâ primos ſuos ſermones inſtituit Chriſtus, in concione ad populum in Monte habitâ: ubi multa correxit ab imperitis falsíſve Legis Moſaicæ interpretibus depravata, & nonnulla ſupplevit omiſſa vel minùs perſpecta & explorata. Genium & indolem utriuſque Legis, ſuæ & Moſaicæ, ex illâ collatione patefecit, docuítque nos præcipuè hæc duo capita, non tam Actus externos cultûs aut virtutis, quàm interioris animi habitus Deo gratos eſſe, & felicitatis æternæ ſemina. Dein Charitatem univerſalem, ſtudiúmque erga omnes propenſum & benignum ſuæ novæ Legis præceptum eſſe voluit primarium.

Digitized by Google

mariumꞏ Atque hæc eadem poſtea à ſuis Apoſtolis ubique pro re natâ inculcantur. Ut in his paucis, amore Dei, puritate animi, & charitatis officiis, Legis Chriſtianæ cardines verti videantur.

Quoad diſciplinam Philoſophorum, non inficior optima ab iis præcipi & edoceri, ſuo modo. Præfecerunt quidem illi Rationem regundis omnibus animi motibus, omni vitæ inſtituendæ. Huic affectus, appetitus ſensúſque omnes ſubjecerunt coercendos, moderandos, dirigendos. His autem præceptis monitíſve, quo minùs vim Legis habere poterant, defuit authoritas, defuere miracula, atque etiam pœnarum futurarum certa demonſtratio. Præterea, cùm tantùm ſparſa eſſent hæc documenta hîc illîc, in libris eruditorum, nullo canone publico conſignata, nec ad captum communem accommoda, parum innoteſcere potuerunt aut valere apud plebem & vulgus hominum, ex quibus multò major pars humanæ gentis conſtituitur. Lex autem Chriſtiana ita proponitur & promulgatur, ut omnes omnino complecti queat rationes legis utilis, univerſalis, & in ſuo genere perfectæ. Pleno jure divino conſtituta eſt, ut ſtatim videbimus: ore & ſcriptis promulgata: pœnis & præmiis maximis ſancita: atque eo modo compoſita, ut unicuique ſit facilis intellectu in rebus neceſſariis.

Denique notandum, Legiſlatorem noſtrum conſtituiſſe œconomiam externam, ad conſervandam & propagandam ſuam Legem:

Digitized by Google

gem: Ritus ſacros tam initiationis quàm confirmationis, hominúmque ordinem ſolennem & authoratum ad docendum publicitùs ac univerſim, & ſcientiâ ſuæ legis inſtruendum tam vulgus quàm eruditos. Hoc non erat penes Philoſophos, nec ab ipſis tentatum. Sectam quidem conſtituebant ſcholarum Magiſtri, quiſque ſuam: at nullâ munitam authoritate. Nec tam res religionum tractabant, quàm ſcientiarum ſtudia. Erant utique apud Gentes, Sacerdotes & Collegia Sacerdotum, & Pontifices; ſed in diſponendis ritibus & ceremoniis Deorum toti erant occupati, nec vitæ inſtitutis moribúſque emendandis incumbebant.

Hæc apud Philoſophos & mundum Gentilem deſiderata, non ita penitus defuere apud Judæos: Lex eorum non tam authoritate quàm dignitate materiæ lege Chriſtianâ eſt inferior. Minutiis abundabat & ceremoniis infrugiferis: rebus externis & corporalibus onerata mentem depreſſit, & affixit humi: Non conſuluit Lex illa in longitudinem, non proſpexit æternitatem, è ſuis umbris non vidit cœlum. Hiſce malis quibuſcunque medelam adhibuit Legiſlator noſter, qui, caſtigato primùm cultu ſacro, & ad puritatem ac ſimplicitatem reducto, in moribus etiam & conſuetudinibus multa ſupervacanea, quin & additamenta ſuperſtitioſa reſecuit: & utrobique ad ſanctitatem liquidam nos propiùs admovit. Præterea, aperto cœlo, & æternæ vitæ fontibus, animos ad immortalitatem accendit, & in contemptum & deſpicientiam rerum ter-

terrenarum

Digitized by Google

renarum adduxit, ex intuitu beatitudinis adventuræ.

Hæc de materiâ & modo Legis Chriſtianæ, cum aliis antiquis Gentium aut Judæorum collatæ. Sed de ipſius origine & Legiſlatoris authoritate ulteriùs ab iiſdem quæritur & dubitatur. Quanquam enim hujuſce Legis indoles divina ſuam monſtret originem, quanquam ſuâ ſplendeat luce, atque vim obligationis in ſeſe habeat: Petunt tamen hi præterea authoritatem externam & viſibilem ad novam legem introducendam. Quæ olim, inquiunt, obtinuere per multa ſæcula, ſic volente Deo, non ſunt temerè aut leviter abjicienda. Proinde hìc inſurgunt Judæi Gentéſque in novum Legiſlatorem, & injuriam iis factam legibúſque ſuis imperiosè poſtulant. Quid ſibi vult hic innovator, aiunt? Quo jure cultum noſtrum moréſque antiquos immutare ſatagat, neſcimus. Ei quaſi præſcriptum eſt à Mundi Rectore, aut tacito conſenſu & permiſſione, aut ſanctionibus explicitis, voce cœleſti ſigníſque, confirmatis. Nec ab his recedendum eſt nobis abſque gravi causâ; abſque authoritate pari, vel potiùs ſuperiori, nè levitatis arguamur. Quid ad hæc Chriſtiani? Quid his adverſariis reſpondendum, antiquitatem, jus antecedens & poſſeſſionem in ſuæ cauſæ patrocinium allegantibus? Quoad Gentes, res paucis expedietur, quandoquidem nec unquam habuerint jus plenum & authenticum: & ſiquid habuere, id ſuo abuſu perdiderint. Sed cum Judæis lis erit operoſior, iis enim negari

non

Digitized by Google

non poteſt jus primævum: an verò jam expiraverit, aut exoleverit, non eſt brevis diſquiſitio. Sed de eâ re pleniùs infrà diſceptandum, ubi de Meſſiâ, communi utriuſque Prophetâ & Principe, cæteríſque eorum argutationibus, pluribus agetur. Interea monſtrabimus Jeſum Nazarenum cœlitus eſſe miſſum, ſigníſque & teſtimoniis ſacris inſtructum & atteſtatum, ídque pluribus & fortioribus quàm olim *Moſem*, aut quemlibet Prophetarum Iſraëliticorum, aut ſapientum è Gentibus. Quod impræſentiarum ſufficiet.

Jeſus Nazarenus natus eſt more non humano: ex Virgine intactâ, & abſque ſemine Viri. Qualem originem non conſtat hominum quenquam habuiſſe antea; nec ſinè virtute divinâ interveniente id unquam fieri poſſe. Conceptum ipſius multa miranda comitabantur: Primò, Angelus apparuit Beatæ Virgini, eíque nunciavit, ex parte Dei, ſe concepturam & parituram eſſe filium eíque nomen fore *Jeſum*. Cui nuncio cùm mirabunda reſpondiſſet *Maria* (id enim Virgine nomen erat) *Quî fieri hoc poteſt, cùm nunquam virum cognoverim?* dixit ei Angelus, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in Te, & virtus Altiſſimi inumbrabit te. Propterea id ſanctum quod ex te naſcetur vocabitur Filius Dei.* Idque tibi ſignum erit veri nuncii, & à Deo profecti, inquit Angelus, *Ecce Elizabetha, cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſuâ.* Paritérque ex *Elizabethâ* vetulâ, ut olim ex *Sarâ Iſaacus*, natus eſt *Johannes* Baptiſta.

Præ-

Digitized by Google

Præterea, *Joſepho*, cui deſponſata fuit *Maria*, apparuit Angelus in ſomnio. *Joſephus* enim, cùm deſponſatam ſuam jam gravidam perceperat, meditabatur eam dimittere; Angelus autem ei dixit, nè metuas accipere *Mariam* in uxorem, *Nam quod in eâ genitum eſt, ex Spiritu Sancto eſt.* Interim *Elizabetham* adierat *Maria*, ad probandam fidem Angeli: Et quamprimùm hanc vidit advenientem & ſalutantem audivit *Elizabetha*, exclamavit voce magnâ, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uteri tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut extitit vox ſalutationis tuæ in auribus meis, ſubſiliit fœtus exultans in utero meo. Et beata eſt quæ credidit: nam perficientur ea quæ dicta ſunt ei à Domino.* His auditis, gaudiam pariter erupit Sancta *Maria*, & effuſa eſt in has laudes, in hunc hymnum ſacrum: *Magnificat Anima mea Dominum: & exultat ſpiritus meus ſuper Deo, Servatore meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hôc tempore beatam me prædicabunt omnes ætates. Quòd magnifica mihi fecit Potens ille, & ſanctum eſt ejus nomen. Et ejus miſericordia eſt in omnes ætates, timentibus eum. Forte facinus fecit brachio ſuo, diſſipavit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum. Detraxit potentes è thronis, & extulit humiles. Famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes. Sublevavit Iſraelem ſervum ſuum, recordatus ſuæ miſericordiæ (prout locutus eſt patribus noſtris, Abrahamo & ſemini ejus) in æternum.* Ita Deum viciſſim celebrârunt laudibus, piæ matres *Johannis* & *Jeſu*, ſacro inſtinctu aut afflatu concitatæ. Denique *Za-*

H *charias*

Digitized by Google

charias Sacerdos, qui linguam aliquamdiu conſtrictam habuiſſet, nato jam *Johanne*, & naſcituro Jeſu, locutus eſt: & de utroque celebrem edidit Prophetiam.

Hæc de conceptione Jeſu Nazareni diximus: circa ipſius natales plura ſunt obſer-
Luc. ii. vanda. Jeſu recens nato apud Bethleemum, Paſtoribus, qui in agris vicinis excubias agebant nocturnas in tutelam ſui gregis, apparuit Angelus, admodum glorioſus: Qui, cùm eos, metu primùm perculſos, relevâſſet, dixit iis, *Ecce vobis annuncio gaudium magnum, quod erit omni populo. Nempe natum eſſe vobis hodie Servatorem, qui eſt Chriſtus Dominus, in urbe Davidis. Hoc autem vobis ſignum erit, Invenietis infantem, faſciis involutum, jacentem in præſepi. Et repentè adfuit cum Angelo multitudo exercituum cœleſtium, laudantium Deum & dicentium, GLORIA in Altiſſimis Deo, & in Terrâ pax, in homines benevolentia.* Eccujus unquam natales, ante hoc tempus, celebrâſſe legimus catervam aut conventum Angelorum? Eccujus, inquam, aut Cæſarum, aut Sapientum: aut Prophetarum, aut Legiſlatorum? Mundi quidem natales celebrârunt olim Angeli: &
Job. xxxviii. 7. jam Mundi Servatorem naſcentem redit ad celebrandum idem chorus Angelicus. Cantant, denunciant, ovantes clamant, *Gloria* Deo in excelſis, in Terris erga homines pax & benevolentia. Reſonuit Æther, & millies repetitis ictibus, *Gloria, Gloria, Pax & Gloria*, ingeminavit cœlorum exercitus. Sed ad Paſtores redeamus. Illi ſic ab Angelis admoniti, adière Bethleemum: infantémque, ut

Digitized by Google

ut prædictum fuerat, recens editum, in præſepi jacentem invenerunt: unde iis nuncii Angelici plena facta eſt fides. Hiſque viſis, famam rei ſparſerunt undique Teſtes oculati: tam viſionem Angelicam quàm viſum ab iis puerum enarrantes. Quæ ut mirati ſunt alii, ita hæc omnia pectore clauſa retinuit & ſecum penſitabat beata *Maria.*

His autem peractis & præteritis, aliud è cœlo datum eſt ſignum: non Paſtoribus, perſonis vitæ fideíque ſimplicis, ſed Magis, Mat. ii.
& Sapientibus Orientis; qui cœlitus admoniti à novâ Stellâ, è longinquo (ut creditur, ex Arabiâ) venerunt Hieroſolyma, ad adorandum hunc Infantem. Ab Hieroſolymis proficiſcuntur ad Bethleemum, viam monſtrante eâdem Stellâ, quæ reſtitit & impendit ædibus ubi erat Infans. Ingreſſi, viderunt Jeſum Infantem, cum Matre *Mariâ*: & procidentes adorârunt eum: apertíſque theſauris, obtulerunt puerulo ſua dona, Aurum, Thus & Myrrham. Denique, cùm his Magis imperâſſet Rex Herodes, ut, invento puero quem quærebant, Hieroſolyma redirent, eúmque de re totâ certum facerent, ut ipſe pariter novum Regem iret adoratum: (id enim ſuæ fraudi prætendebat) Deus, cognitis inſidiis & malo dolo Herodis, per ſomnium admonuit Magos, ut, evitatis Hieroſolymis, per aliam viam in patriam remearent.

Hæc de Paſtoribus & Magis, diverſi ordinis teſtibus: his falli, illis fallere neſciis. His autem factis aliud ſupervenit teſtimonii

Digitized by Google

genus, Simeonis & Annæ prophetantium, ídque datâ hâc occaſione. Expletis diebus
Luc. ii. purificationis *Mariæ*, Hieroſolyma adduxerunt puerulum ipſius parentes, ut ſiſterent eum coram Domino, daréntque oblationes conſuetas, ſecundùm legem Moſis: & cùm eſſet in Templo cum ſuâ Matre, *Simeon*, vir juſtus & religioſus, cui divinitús nunciatum fuerat à Spiritu Sancto, ipſum non viſurum mortem priuſquam vidiſſet Chriſtum illum Domini, hìc vidit Jeſum infantem, ulníſque amplexus, benedixit Deo, & exclamavit, *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum, cum pace; viderunt enim oculi mei ſalutem tuam. Quam paráſti in conſpectu omnium populorum. Lumen ad illuſtrandas Gentes, & gloriam populi tui Iſraëlis.* Hæc *Simeon*. Eodem tempore & inſtinctu interveniens *Anna* Prophetiſſa, pariter celebrabat Dominum viſo infante: & de eo loquebatur omnibus qui redemptionem expectabant Hieroſolymis.

Hactenus Jeſum infantem, naſciturum aut recèns natum vidimus, ſignis divinis comitatum. Ad ætatem virilem provectus, & miniſterium ſuum officiúmque publicum ingreſſurus, Baptiſmum accepit à *Johanne* Baptiſtâ. Recuſavit quidem primò Baptiſta,
Mat. iii. dicens, *mihi opus eſt, ut à Te baptizer, & Tu venis ad me.* Quo teſtimonio, majorem eſſe Jeſum, ſuperiorem in rebus ſacris, & ſe præſtantiorem agnovit. Baptizatus autem cùm aſcenderet Jeſus è flumine, aperto
Mat. ibid. cœlo, deſcendit Spiritus Sanctus viſibiliter
Joh. i. in illum, & inſedit ei. Dein vox adfuit è cœlis,

Digitized by Google

cœlis, dicens, HIC EST FILIUS ILLE MEUS, DILECTUS ILLE, IN QUO ACQUIESCO.

En teſtimonium è cœlo illuſtriſſimum: quali nec Moſem nec Prophetarum ullum dignatus eſt Deus. Quin concurrunt coëúntque, ut vides, omnia, quæ virum planè divinum, Deóque acceptiſſimum indicare aut præfigurare poſſunt, ſive Prophetam dixeris, ſive Sacerdotem, ſive Legiſlatorem. Eſt in omni genere, omni modo, Deo conſecratus, conſummatúſque ad ſuum munus exequendum. Baptiſmum accepit, tam Aquæ quàm Spiritûs: ablutionem & unctionem, vel unctionis Antitypum effuſionem Spiritûs Sancti, & ejuſdem permanentiam & inhabitationem. Denique, in exercendo ſuo ſacro miniſterio, Deus iterum eundem honorem, idem ei teſtimonium perhibuit: cùm in Monte Sancto nubes lucida eum, cum diſcipulis ſuis, inumbravit: & è nube emiſſa eſt hæc vox, *Hic eſt Filius ille meus, dilectus ille,* Mat.xvii. *in quo acquieſco: IPSUM AUDITE.*

Quidni audiamus igitur (id jubente Deo) hunc Dei interpretem? hunc cœleſtem Legiſlatorem? cui prælata ſunt tot ſingularis authoritatis inſignia. Quiſquámne hominum eo apparatu ſigniſque divinis venit in hanc vitam, ac Jeſus Nazarenus? natus ex virgine ſinè Patre humano, præcones habuit Angelos ſuorum natalium & futuræ gloriæ. Mitto impræſentiarum præcones antiquos, Prophetas intelligo: de quorum vaticiniis cùm ad Judæos ſpectent maximè, locus

locus erit differendi opportunior in ſequentibus. Quid interim ei defuit ad ſignificandam authoritatem Legiſlatoris aut Prophetæ, ante munus incœptum? Aderant prænuncii Angelici, ſomnia divinitùs miſſa, voces de cœlo, & inſpirationes propheticæ: omnibúſque modis, quibus aperiri ſolet voluntas Dei, & divina poteſtas delegari, in publicum præfultus prodiit.

Hos teſtes habemus, & quaſi ſponſores de Jeſu Nazareno, Prophetâ & Legiſlatore divino. Hæc, inquam, cœlitùs ei facta, & præmonita. Quid ipſe fecerit ad ſtabiliendam ſuam authoritatem divinam, miniſterium publicum ingreſſus, deinceps eſt expendendum. Et in hoc ſenſu numeramus, tanquam illuſtriora, ipſius miracula, tam in vitâ quàm morte: Dein Reſurrectionem è mortuis, Aſcenſionem in cœlum: Atque ea denique quæ ſecuta ſunt ſub initiis & in progreſſu religionis ab ipſo introductæ & conſtitutæ.

Miracula edidit Chriſtus multifaria, maxima, & teſtatiſſima. Sanavit ægrotos, claudos, cæcos, mutos; nunc præſens, nunc abſens: quandoque verbo, quandoque manu, quandoque etiam ſolo veſtis attactu. Naturæ & elementis imperavit: ventis, aëri, aquæ, oceano: & ſuo juſſu flexit in quemlibet ſtatum, in quamlibet formam. Nec tantùm in corpora humana, aut naturalia, ſed etiam in Dæmonas ſpiritúſque impuros, & in ipſos mortuos, ſuum exercuit imperium: Hos ad vitam revocavit, illos è vivorum corpo-

Digitized by Google

corporibus ejecit. Denique, Angelos cœleſtes, pro ſuo placito, miniſtros adſcivit, ut ſibi commiſſum totius naturæ dominium oſtenderet. Illud poſtremò non eſt omittendum, ut in cætera omnia, ita in ſuum ipſius corpus potentiam exercuit inimitabilem: immutavit ſcilicet in corpus lucidum & glorioſum, & ſubinde reduxit ad priſtinum ſtatum. *Transfigurationem* ejus intelligo, cùm in Monte Sancto, *Fulſit ipſius facies, ut Sol: & veſtimenta ejus albeſcebant inſtar lucis.* *Moſes* etiam & *Elias*, alter Legiſlator Judæorum, alter inter Prophetas celeberrimus, cum eo colloquebantur: iiſque abeuntibus, vox juſſit è nubibus, ut huic dilecto Dei Filio auſcultaremus. Mat.xvii.

Hæc breviter de miraculis Chriſti: quæ quidem ſatis eſſent ſola ad fidem omnibus faciendam de ſuâ authoritate divinâ: nulla licèt præluxiſſent naſcituro aut recèns nato ſigna extraordinaria. Sed non tantùm eâ ratione ſuperavit omnes Prophetas & Legiſlatores, ſed etiam miraculis à ſeipſo exhibitis. Quæ enim ſparſim legimus in ſacrâ hiſtoriâ antiquâ, partim ab uno Prophetâ, partim ab alio præſtita, ea collectim perfecit omnia Chriſtus, aut iiſdem majora.

His miraculis Chriſti addendæ ſunt ipſius prophetiæ, ut dictis factiſque Prophetam demonſtremus. Illud occurrit imprimis vaticinium memorabile, quod cum lacrymis effudit, DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANO. Vidit populi ſui antiqui, & dilectæ urbis appropinquantem

tem cladem: vidit cum dolore, & admonuit ſæpiùs gentem immorigeram de futurâ Numinis irâ & inſtanti vindictâ. Prædictioni reſpondit eventus: Periit infelix urbs, cum ſuâ gente: & etiamnum manet utriuſque deſolatio, veracis Prophetæ triſte monumentum.

Nec res adverſas tantùm prædixit, & judicia Dei in ſuos inimicos, ſed etiam beneficia & dona promiſit & prænunciavit ſuis Diſcipulis. Miſſionem & effuſionem Spiritûs Sancti intelligo. Hoc promiſſum & prophetiam legimus completa in Actis Apoſtolorum, modo extraordinario & præteritis ſæculis incognito. Teſtibus Judæis ſimul & Gentibus. Statim ab aſcenſione Chriſti, cùm congregati eſſent ipſius Diſcipuli Hieroſolymis, deſcendit Spiritus Sanctus in Apoſtolos, modo viſibili, formâ igneâ, & effectis mirabilibus. Piſcatores illi & plebei homines ex Galilæâ, cœlitùs afflati, derepentè aliis atque aliis linguis inter ſe colloquebantur, ac ſi eaſdem longo ſtudio & exercitatione edocti fuiſſent. Sparſo autem rumore per urbem hujuſce rei novæ & inſolitæ, convenere in eundem locum alienigenæ ex pluribus gentibus, qui erant Hieroſolymis: ut fidem & veritatem facti experirentur. Re autem iis compertâ & extra dubium poſitâ, obſtupefacti ſunt omnes & mirabantur, dum linguam ſibi propriam & vernaculam ex ore Apoſtolorum quiſque audiret. Nec tranſiit, inſtar fulguris, hic afflatus, hoc donum, nec pro iſtòc tantùm tempore invaluit; ſed adfuit Apoſtolis, da-

Cap. ii.

tâ

Digitized by Google

tâ occaſione, ad mortem uſque. Nec Apoſtolos tantùm, ſed initiatos in fide & diſciplinâ Chriſti, eadem Spiritûs Sancti dona cum aliis multis comitabantur. 1 Cor xii. 10,28,30. & xiv. 2.

Mitto alia, & mortem ſuam & Reſurrectionem ſæpius prænunciavit Apoſtolis, eorúmque fata poſt ſuum abitum & diſceſſum, *Mat.* x. 16, &c. *Mar.* xiii. 9. *Joh.* xxi. 18. Dein abnegationem Petri prædixit, unúmque è duodecim ipſum eſſe proditurum, quem datâ offulâ ſignabat. Præterea Judæorum obſtinationem & rejectionem, Gentiúmque converſionem futuram, *Mat.* viii. 11. & xxi. 43. *Joh.* x. 16. Sed quid multa: ab ipſis Judæis nunc cœleſti Jeſu Nazareni doctrinâ perculſis, nunc factis mirabilibus, ac etiam ſuorum oraculorum voce fractis & convictis, ſæpe agnitus eſt Propheta, atque ille Propheta venturus, *Mat.* xxi. 11. *Luc.* vii. 16. & xxiv. 19. *Joh.* iv. 19. & vii. 40. & ix. 17. dein *Joh.* i. 45. & vi. 14.

Sed in hiſtoriâ pergamus ad mortem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti. Primò, moribundo aut moriente Jeſu Nazareno Cœlum & Terra ſuæ indignationis aut horroris dedêre ſigna: Tremuit Terra, & Sol abſcondit faciem. Præterea aperta ſunt mortuorum ſepulchra, ſciſsíque & ſcopuli & velum Templi Hieroſolymitani. Ut omnibus innoteſceret, tam Judæis quàm Gentibus, vivis & mortuis, ira Dei, & facinoroſis impendens vindicta. Hæc denique ita erant manifeſta & conſpicua, ut qui huic ſceleri aut trucidationi ſceleroſæ

I aſſiſte-

Digitized by Google

aſſiſtebant aut aliàs intererant, Centurio nempe & circumfuſa turba, his oſtentis mirabilibus perculſi, clamabant *Hominem juſtum & Dei Filium ſupplicio & morti deditum eſſe.*

Mortem Chriſti ſecuta eſt ipſius Reſurrectio, & in mortem ipſam victoria. Nempe cùm à Judæis crucifixus eſſet Jeſus, emortuus & ſepultus, poſitâ ad ſepulchrum militari cuſtodiâ, (quandoquidem à morte ſe reſurrecturum prædixerat) infra triduum è mortuis revera ſurrexit: Angelis præſentibus & atteſtantibus. Dein ſuis Diſcipulis, ſollicitis aut dubitantibus, ſeſe exhibuit redivivum, repetitis vicibus. Hoc modo ſeſe oſtendit Chriſtus ſupra ſortem humanam, ſupra mortem elatum, ruptis ipſius vinculis clauſtriſque omnibus, idque ſuâ vi: quâ etiam nos tandem à mortuis reſuſcitabit.

Joh. x. 18. Phil. iii. 20, 21.

Quid plura dicam? Quid repetam majora divinæ virtutis indicia? Sed non deeſt his omnibus complementum ſummum. Cùm mortem vicerat Chriſtus hàc reſurrectione, de eàdem glorioſè triumphavit ſuo in cœlum aſcenſu. Cùm in monte Oliveto, teſtibus Angelis & aſpectantibus Apoſtolis, omnem mortalitatem exuit & excuſſit: Terram deſeruit & in altum æthera evolavit. Sic rediit ad Patrem, & ad gloriam illam quam habuit ante mundum conditum. Talem reſurrectionem & ἀποθέωσιν nemo mortalium habuit unquam, ſive ex illo tempore, ſive ſæculis antecedentibus.

Joh. xvii. 5.

Hæc

Digitized by Google

Hæc de Jeſu Nazareno, ipſius conceptu, natalibus, vitâ & morte, reſurrectione & aſcenſione dicta ſunto. Atque hæc mihi videntur authoritatis divinæ maxima & invicta argumenta. Nempe miracula Legiſlatoris Legíſque ſanctitas, prophetiarum præcedentium aut tunc temporis futurarum complementa, voces de cœlo, Angelorum apparitiones & teſtimonia. Ab his ſignis, ut inquit Chriſtus, *Cur non diſcernitis quod juſtum eſt*, aut rationi conſentaneum. Sed forſan quæ deinceps ſecuta ſint, quæres; Quam fidem adhibuerit his factis dictíſve gens humana? Quantum valuerint apud iſtius ſæculi homines aut inſequentium hæc mira & præclara? cùm adhuc recens erat fama, & iſtarum rerum hiſtoria. Quam denique vim & ſucceſſum habuerit Lex illa nova cujus author erat Chriſtus? Id partim jam diximus, cùm ad primam concionem Apoſtolorum, enarratis morte & reſurrectione Chriſti, & vaticiniis eò ſpectantibus, converſi ſunt ad fidem Chriſti homines quaſi ter mille. Neque minùs ad continuatam prædicationem Apoſtolorum profecit indies crevítque fides Chriſtiana: donec tandem imperium Romanum ſubegit, atque ad illam pervenit magnitudinem quà jam latè protenditur Orbis Chriſtianus. Ceſſabant Oracula & Δαιμονολατρεία. *Ex quo*, inquit Porphyrius, *Jeſus coli cœptus eſt, communem ac publicam Deorum opem nemo ſenſit.* Quæramus jam viciſſim, unde hæc mutatio repentina, & nova rerum facies? unde hæc victoria? non vi & armis pugnatum eſt, Euſeb. præp. Evang. l. 5. c. 1.

nec eloquentiâ & artibus humanis. Notum eſt qui fuerint primi præcones Evangelii, plebii & proletarii homines. Nec divitias poſſidebant ipſi, nec pollicebantur aliis: nec honores, aliáve quæcunque humanæ cupiditatis incitamenta. Quinimo tantùm abfuit ut his ſe fruituros eſſe crederent aut cultores primi aut ſubſequentes proſelyti, ut omnes qui hanc ſectam amplexi fuerant, expoſitos viderint communi odio aut ludibrio. Neque id tantùm, ſed in vincula conjectos, feris, ferro, flammiſve cruciandos aut interimendos. His non obſtantibus invaluit Evangelium, & auctus eſt aſſiduè numerus converſorum ad fidem Chriſtianam. Quâ vi mihi dicas velim, divinâ aut humanâ? Obſtiterunt, ut vides, humana omnia. Numen his interfuiſſe negabis, Numen ſummum & ineluctabile? Non minorem certè potentiam exigit monſtrátque eventus: & quæ plurima identidem interceſſerunt miracula, Deum oſtentant præſentem & cœptis aſpirantem.

Quis plura deſiderat aut majora ad fidem faciendam Legiſlatori cœlitùs miſſo? cùm præter Legis ſuæ eminentem dignitatem, eandem comitata ſint tot & tanta miracula, tam ad eam introducendam quàm ſtabiliendam. Reſtat tantùm ut rerum humanarum ſtatum, cùm venit in mundum Servator noſter, intueamur: quo conſtet clariùs, ſi fieri poſſit, vis, utilitas aut neceſſitas novæ œconomiæ ſub Meſſiâ. Quàm opportunè laboranti ſuccurrit humano generi ille Princeps pacis & juſtitiæ: quantis malis

Digitized by Google

malis eripuit, quanto denique ſtudio & benignate proſpexit eorum ſaluti & felicitati futuræ.

Mundi ſub illud tempus quàm maximè degeneris & deformati, non facilè eſt imaginem depingere. Tenebris, vitiis & ſuperſtitione immerſus jacuit. Religio Judaica quæ adhibita fuerat in medelam aliis, ipſa jam inciderat in morbum periculoſum. Neglectis legis ſuæ fundamentis & parte naturali, hærebant nimiopere ritualibus & ceremoniis ſuis Judæi: iiſque accuratè peractis, ſe Deo fore acceptos credebant & cæteris omnibus religioſiores. Hæc autem in externis & minutis ſollicitudo, & in maximis & interioribus negligentia, eſt veræ religionis tinea & corruptela. Præterea, extra Judæam regnabat adhuc humani generis peſtis, Idololatria. Tot Deos adorabant Gentes, quot erant in cœlo vicina ſidera. Nec cœlum tantùm & ſidera, ſed homines mortuos, animantia, plantáſque venerati ſunt, ut antea diximus. Iis tam nullus erat quàm plurimus ubique Deus: ritibúſque, non frivolis modò, ſed impuris, ſed barbaris & immanibus ſua Numina vel Idola coluerunt. Dein ab hàc radice ſuperſtitionis & idololatriæ pullulabant innumera vitia: effrænis libido, luxuria morúmque impuritas ſimul & impunitas: etiam cùm contra naturam nefandas cupiditates explerent. Nec minùs injuſtitià, mutuis injuriis & feritate alii in alios ſæviebant. Apud multos raptu & prædà vivebatur abſque ullo regimine: apud

Digitized by Google

pud alios tyrannidem exercebant imperii potentes, in ſuos quiſque populos: victóſque & captivos alienigenas, ut belluas, ad pugnandum & digladiandum inter ſe committebant, aut ad congrediendum cum feris in luſum & ſpectaculum populo. Interea ſocietati & bono publico non tam conſultum erat, quàm ut quiſque ſibi concupitum, quicquid eſſet, adipiſceretur. Hic ſuæ litat ambitioni, alter avaritiæ, aliiſque alii animorum æſtibus: citra amorem mutuum, charitatem, aut in miſeros miſericordiam. Verbo dicam, ad explendas corporis animíque libidines cæco impetu ferebantur, abſque lege aut regulâ hodiernæ vitæ, abſque ſpe aut metu futuræ.

Ita naturam humanam exuiſſe videbatur mundus Ethnicus, & in brutam degenerâſſe. Nec id tantùm, ſed inſuper ſeſe dediſſe in dominatum malorum Geniorum, qui (permittente Deo) mundi hujuſce imperium obtinuerant. Id utique arrogabat ſibi eorum Princeps, cùm oſtenſis Chriſto regnis omnibus hujuſce mundi & eorum gloriâ, dixit ei, *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum regnorum: nam mihi tradita eſt, & do eam cuicunque voluero.* Malè fidum novimus Diabolum, ſed eundem dixit non minùs Chriſtus, ídque ſæpius, hujuſce mundi principem, *Joh.* xii. 31. & xiv. 30. & xvi. 11. Mundum poſſediſſe quidem videtur tunc temporis, quocunque jure aut titulo: & Deo quaſi excluſo, res agebantur pro arbitrio Dæmonum. Oracula inſtituerunt in diverſis regionibus, & afflabant modo

Luc. iv. 6.

modo quodam aut in furorem agebant ſuos Sacerdotes & Prophetiſſas. Multifaria inſuper Divinationum genera, vanarum & ſtolidarum, ad illudendum mortale genus, Deúmque ipſum, conſtituère: Augures, Haruſpices, Ariolos, Vates, Conjectores omne genus: qui ab extis animalium, à volatu avium, ab hinnitu equorum, à tonitru & fulgure, & neſcio quot modis, ſecreta cœli & res futuras hominum ſe rimari & prædicere poſſe fingebant. Dein magicis artibus inſtruebant alios, atque eâ ratione in ſervitutem aut obſequium quaſi fœdere & pactione obſtrictos tenebant. In hàc ſuperſtitionis & vitiorum colluvie volutati jacebant homines: Et quod olim de gente Iſraeliticâ dixit Propheta, de reliquâ gente humanâ non minùs verè dicere potuiſſet: *Ah, gens peccatrix, populus graviſſimus iniquitate, ſemen maleficentiſſimum, filii corruptores: reliquerunt Jehovam, & contemptim irritaverunt ſanctum Iſraelis. Totum corpus ægrotat, totum cor langueſcit: A plantâ pedis uſque ad caput nihil integrum, ſed vulnus, & tumor, & plaga ſanioſa.* Audite cœli, auſculta Terra, quid fiet huic populo?

Iſa. i. confer Rom. ii.

Quum degeneràſſet olim primum mortale genus, Deus iracundus delevit è facie Terræ omnem carnem, unicâ exceptâ & conſervatâ familiâ: ut ex illâ propagine experiretur, ſi fortè ad frugem rediret gens humana, tantâ clade percuſſa & præmonita. Sed, ut vidimus, nihil profuit ira Dei, aut Diluvium univerſale ad emendandam progeniem humanam. Prolapſa eſt denuo ad

fœdos

Digitized by Google

fœdos mores & impietatem: quæ, procedente mundi ætate, magis magiſque ingraveſcebant. *Sed quorſum percutimini amplius, novas addetis prævaricationes?* inquit Propheta. Proinde non excîdit & extinxit Deus hoc ſecundum hominum genus, ſed miſericordiâ motus, à vitiis & erroribus ſuis revocare tentavit, miſſo unigenito ſuo Filio in terras, cum novâ Lege, novâque œconomiâ, ad mundum, ſi fieri potuit, reformandum. Quâ autem ratione hanc Reformationem generis humani inſtituit Deus, & aggreſſus eſt Chriſtus, dictum eſt in ſuperioribus ſparſim & generatim; nunc autem, (His præmiſſis de authoritate Legiſlatoris, Legiſque ſuæ uſu & neceſſitate) pleniùs & per ſingula capita manet exponendum.

Iſa. xv.

Digitized by Google

CAP. V.

De Cultu Dei, & Ritibus Sacris: ſecundum Legem Chriſtianam.

VENIT in mundum Chriſtus, *ut opera Diaboli deſtrueret:* Qualia ſunt vitia, errores, idololatria. His animas humanas irretitas, & à veritate, virtute, & verá pietate alienatas tenuit iſtius mundi princeps. Quam opem his attulit Chriſtus? Quâ medicinâ his malis occurrit, aut ſubvenit? Remedia paravit, ut mihi videtur, ſingulis propria nec minùs efficacia. Contra idololatriam & ſuperſtitionem, cultum purum. Contra vitia, morum regulam æquam juſtámque, & eorundem exemplum purum & immaculatum. Contra errores, veritatis lumen & fidem rectam. Hæc an ita ſint, videamus, aut ſiquid præterea ſit deſiderandum.

1 Joh. iii. 8. confer Mat. xii. 29. Luc. x. 18. Joh. xii. 31. & xvi. 11. Dein Joh. viii. 44. & 1 Joh. v. 19.

Exordiendum à Deo, rerum omnium Authore, & Rectore Univerſi. Deum unum prædicavit Chriſtus, æternum, incorporeum, infinitum, ſanctiſſimum, immutabilem: Cultúmque tanto numine non indignum inſtituit. Hôc uno ictu proſtravit Deos Gentium innumeros, futiles & fictitios: cultúmque eorum maleſanum abolevit. Gentium, inquam, Deos: Deum enim Iſraelis adorandum uſque propoſuit. Sed cultum ei præſtitum, immutandum duxit. *Deus eſt Spiritus,*

Joh. iv. 23, 24.

tus, inquit Chriſtus, *& qui adorant eum, oportet ut Spiritu & veritate adorent.* Quo dicto & Judæorum & Gentium improbavit cultum. Spiritus purus nec ſtatuis nec imaginibus repræſentari debet aut poteſt. Hæc & hujuſmodi figmenta, hominum opera, dignitatem Numinis imminuunt, ſupereminentem ipſius naturam deprimunt in ſimilitudinem rerum vilium & corporearum. Præterea ſanctitatem Numinis polluère Gentes, ritibus inſanis, nefariis aut turpibus, (ut non ſemel antea diximus) à quibus abhorruit Legiſlator noſter. Nec Gentes tantùm increpare voluit hôc monito, ſed Judæos etiam: Qui Deum quidem unum coluerunt, eúmque incorporeum, ſed cultu nimis corporeo, certis locis aſtricto, & externis ac inutilibus ceremoniis gravato. Hos monet de mutando & dilatando Dei cultu: nec Hieroſolymis ſolùm aut in monte Gerizim: nec in hôc aut illo Templo, unicè præſentem eſſe Deum; per totum terrarum orbem, & quaquà patet cœlum, Deus habitat: adéſtque Spiritu & veritate eum colentibus, in omni loco, in omni Gente.

Judæos de eàdem re ſæpius admonuiſſent eorum Prophetæ. Nec Prophetæ tantùm, ſed lumen naturæ, & Philoſophi in omni ævo, Numen ubique adeſſe piis animis, nec externis miniſteriis aut oblationibus placandum admonuere: ut videre eſt apud Platonem, Hieroclem, alióſque. Dictum etiam Senecæ, apud Lactantium, idem præ- L. 6. c. 25. clarè explicat. *Vultiſne vos*, inquit, *Deum cogitare magnum & placidum, & majeſtate leni*

Digitized by Google

leni verendum, amicum & ſemper in proximo? non immolationibus & ſanguine multo colendum, (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?) ſed mente purâ, bono honeſtóque propoſito. Non Templa illi, congeſtis in altitudinem ſaxis, ſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore. Eodem modo *Iſaias* Propheta Judæos allocutus eſt, ex ore Dei: *Sic ait Jehova, Cœlum mihi ſolium eſt, & Terra ſcabellum pedum meorum: ubinam eſſet domus quam ædificaretis mihi? & ubinam locus quieti meæ? Atqui omnia iſta fecit manus mea —— ſed in hunc intueor in pauperem & contritum Spiritu, ac trepidantem ad verbum meum. Qui jugulat Bovem, ac ſi percuteret virum: qui mactat parvam pecudem, ac ſi decollaret canem: qui offert munus, ac ſi ſanguinem porci: qui adolet thus, ac ſi muneraretur idolum.* Vides, & Judæorum & Gentium cultum, tam à Deo, quàm hominibus, à viris divinis & ſapientibus, reprehendi & quaſi irrideri. Sed ad ſermonem Chriſti redeamus. Iſa. lxvi. 1, 2, 3. Act. vii. 48, 49.

Dixit Chriſtus verbis præcedentibus, *Venit tempus, & nunc eſt, quum veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu & veritate: Etenim Pater tales quærit, qui ipſum adorent. Spiritu*, inquit, adorandus Deus, non tantùm actionibus externis, cultu corporeo, ritibus & ceremoniis, quæ non expurgant animum: Sed pietate internâ, ſincero cordis affectu, caſto, puro, ſanctóque ſpiritu, prout ipſe eſt Spiritus Sanctiſſimus. Porrò, *in veritate* colendum docet, non jam typis, umbris & figuris: multò minùs cultu ſuperſtitioſo, fal-

Digitized by Google

ſo, aut hypocritico. Summa eſt, cultum noſtrum ad illius quod colimus Numinis dignitatem & naturam adaptandum docet Chriſtus. Eſt illud Numen inviſibile, omnipræſens, omniſcium, perſpicítque corda & cogitationes: communis Pater omnium, totius Univerſi Conditor. *Hic tibi Deus eſt, Chriſtiane.* Non ut olim dixere Iſraëlitæ, *Hi ſunt Dii tui, Iſrael:* cùm vitulos aureos, recèns confictos, intuerentur. Nec inſtar Gentium, quibus in hortis naſcuntur Numina: aut in ære, aut ſaxo, ligníſve latitant. Deus eſt immenſus, tam præſentià ſuà, quàm bonitate. Adéſtque ſingulis in quà-
Act. x. 35. vis regione aut gente, *qui timent eum, operámque dant juſtitiæ:* Et in mente boni viri ſuam ſedem, templúmque habet auguſtiſſimum.

Ut paucis dicamus, verum divini cultûs objectum his verbis expoſuit Chriſtus, dein cultum ei conſentaneum & verè θεοπρεπῆ: *univerſalem* intelligo & *rationalem*. Putà laudes & gratiarum actiones, preces & ſupplicationes, è calenti corde effuſas. Voluit ut nos ipſos Deo conſecraremus, corpus animámque: non bruta & cruenta ſacrificia, hircorum aut taurorum ſanguinem: quæ neque Deo ſuâ naturâ grata ſunt, neque ſanctiorem reddunt hæc dona offerentis animum.

His amotis ritibus Judæorum & Gentium, quæres ſubinde, quales eorum loco ſubſtituerit Chriſtus: ſinè ritibus enim vix poteſt conſtare inter mortales religio quæ-

vis

Digitized by Google

vis inſtituta. Reſpondeo, Ritus Chriſtiani ſunt *pauci*, *ſimplices*, *innocui*, *utiles*, *nec magicè operativi*. Multitudo rituum, inſtar nebularum, abſcondunt faciem Solis, aut lumen ipſius obtundunt & diminuunt. Res in ſe præſtantes læduntur nimio apparatu. Ita ſemper tractanda & inſtituenda eſt Religio, ut quod in eà ſanctiſſimum eſt & diviniſſimum, id ſemper verſetur ante oculos, ſemper præ cæteris effulgeat. Ritus noſtros militari nomine aut ſolennis juramenti, *Sacramenta* appellare ſolent Theologi: Quorum duo tantùm inſtituit Chriſtus, Baptiſmum & Euchariſtiam. Illum initiationis ritum, alterum confirmationis & commemorationis: quo Chriſti mortem donec ſecundò advenerit, commemorare jubemur. 1 Cor. xi. 25, 26. Et prout pauci ſunt ritus noſtri, ita ſimplices: aquâ purà, aut pane & vino celebrandi. Nihil hìc operoſi aut magnifici: nec cultum Dei onerant, nec cultores: nec pompam præ ſe ferunt, nec oſtentationis ſpeciem. Innocuos eſſe, res ipſa loquitur. Nec cæde, nec ſanguine litant Deo Chriſtiani: nec ceremoniis utuntur ullo modo inhoneſtis aut indecoris: ſive in initiandis neophytis, ſive in adeptorum ſacris faciundis. Denique utiliſſimi ſunt in re religionis promovendà. Religionem intelligo interiorem & vitæ ſanctimoniam. Cùm Chriſto dedicamur in Baptiſmo, renunciamus Diabolo & ipſius operibus, ad quæ deſtruenda, ut diximus, venit in mundum Chriſtus. Renunciamus inani pompæ & gloriæ hujuſce ſæculi, ut cœleſtia ſequamur. Renunciamus denique illicitis carnis deſideriis

aut

Digitized by Google

aut deliciis, ut ſpiritu vivamus Deo, ac rationi non pravis affectibus obſequamur. Ita in ipſis initiis religionis noſtræ, cùm noſmet tradimus Chriſto, & ipſius fidem recipimus, repudiare & abdicare tenemur omnem nequitiam: omnes mali fontes, fomites & fautores. Hoc autem ſacramentum aut abjuratio exigitur ab adultis in perſonâ propriâ, ab infantibus per ſponſores: qui id in ſe recipiunt, unà cum parentibus, ut educatione Chriſtianâ adhibitâ, fidem promiſſorum præſtent ita initiati. Idque in confirmatione ſubſequenti, aut ad ſacram cœnam admiſſione, præſtitum curant ſacris præpoſiti.

Erat quidem in uſu Baptiſmus etiam apud Judæos, in Proſelytis initiandis. Et apud Gentes itidem inter ceremonias ſacras & initiamenta, Lotiones obtinuere. Eſt quippe ſymbolum aut typus aptus & appoſitus ad ſignificandam purificationem, Ablutio: ut ſicut extrinſecus mundatur Corpus, ita intrinſecus abluatur Anima à ſuis ſordibus & immunditie. Quòd ſi huic ritui ſimplici adjunxerint olim Chriſtiani (ut & hodie nonnulli) minutias quaſdam ceremoniales, quæ nobis videntur nullius eſſe vis aut uſûs, id tempori, loco, & populo dandum eſt. Primi Chriſtiani erant plerique Judæi converſi: Judæi autem, ut nôſti, ſunt φιλοτελετοὶ, nec facile eſt exuere ſimul & ſemel inveteratas conſuetudines aut propenſiones. Neque miror his propenſionibus, ſive Judæorum ſive Gentium, indulſiſſe aliquantulùm Chriſtianos ſapientiores: id debetur in-

infirmis in tenerâ & naſcenti Religione. Quot ceremonias, aliàs inutiles, in cultum ab ipſo inſtitutum adſcivit *Moſes*, ut ſe accommodaret Judæis, è gente idololatricâ recèns eductis? Magna opera non perficiuntur unico ictu, ſed promovendum eſt ſenſim genus humanum ad religionem puram, lucidam, & planè rationalem. Hunc ritum olim comitata ſunt in adultis dona Spiritûs extraordinaria, ſed ea dudum deſiere: nec in infantibus unquam ſunt expectanda.

Alter ritus Chriſtianorum eſt Commemoratio mortis Chriſti, quæ à nobis dici ſolet *Euchariſtia*, del *Cœna Domini*. Utrumque nomen inſtituta Judaica reſpicere videtur: Hoc Agnum Paſchalem, illud ſacrificii Euchariſtici feſtum. Et utriuſque inſtituti vim & ſignificationem explet ſuperátque hoc ſacramentum. Peragitur pane & vino, in modicâ portione ſumptis: quibus ſanguinem Chriſti pro nobis effuſum, corpúſque fractum commemoramus. Symbola hæc ſunt ſatìs apta & facilè apparata, usúmque habent multiplicem. Revocant in mentem beneficia quæcunque à Chriſto accepimus, & amorem ipſius in genus humanum inimitabilem: Cùm ſeſe obtulit morti, morti cum cruciatibus & ignominiâ, ut nos à peccatis redimeret, & ſalutem nobis pararet æternam. Præterea in his celebrandis non tantùm reverentiam & pietatem, ſed etiam, depoſitis omnibus inimicitiis, charitatem univerſalem expoſcimus. Datámque Chriſto fidem antea in baptiſmo renovamus: Et ſi quid ſecus acciderit, vitæ mo-

Digitized by Google

morúmque emendationem, actâ pœnitentiâ, pollicemur. Vides externa noſtra & ritualia eò ſpectare, ut officii quemque ſui commonefaciant, animíſque inſpirent ſanctitatem: propoſitum finémque ſummum Legis Chriſtianæ.

Hactenus opinor, nihil in nos culpæ aut vituperii conjiciendum circa cultum, ritúſve Chriſtianos: neque in illo ſuperſtitionem, neque in his multitudinem aut inutilitatem, aliámve labem quamcunque, ex Hebræis Rabbinus, aut è Gentibus Sacerdos Philoſophúſve facilè reperiet. Idque ſemper permittimus petimúſque ut cum ſacris Judaicis & Gentilibus conferantur noſtra, quò cujuſque indoles ex illâ contrapoſitione magìs innoteſcat. At, inquies forſan, eſt quidem, ſecundùm hanc ideam, caſta, ſimplex, & pura Religio Chriſtiana: ſed in praxi & in exercendis his ſacris multa adſcriptitia atque minùs pura accumulantur, aut ita intermiſta ſunt ut ſenſim corruptelam inducant. Reſpondeo; non id agimus, ut cujuſvis Eccleſiæ, quæ Chriſtiani nominis titulum gerit, cultum ritúſve propugnemus: ſed quæ à Chriſto, & ipſius Apoſtolis inſtituta ſunt, ea præſtamus innocua, pia, & verè ſancta. Conqueſti ſunt Patres noſtri, & adhuc conquerimur hodie de corruptâ ſimplicitate religionis Chriſtianæ, tam quoad dogmata, quàm cultum: ídque Gentes etiam obſervârunt. Notavit *Ammianus Marcellinus*, currente ſæculo quarto, *Chriſtianam religionem, abſolutam & ſimplicem, anili ſuperſtitione confudiſſe Conſtantium,*

L. 21. ſub fine.

Digitized by Google

tium. Memorat etiam exinde Hiſtoricus diſſidia & contentiones de ritibus, inter antiſtites Chriſtianos. Nullius temeritati aut ſuperſtitioni favemus, nullius patrocinamur. Videant illi, quorum intereſt, ſéque & ſua tueantur. Siqui pridem introducti fuere ritus, indulgendo Judæis aut Gentibus, ſublatâ causâ exoleſcere debent in Republicâ jam penitùs Chriſtianâ: Et qui eoſdem retinent augéntque non ſinè ſcandalo & inſigni damno religionis noſtræ, (quod in Eccleſiâ Romanâ factum lugemus) admonendi ſunt potiùs quàm defendendi. Officit religioni, ut mihi videtur, quodcunque eſt ſuperfluum. Quippe quod imminuit vim & curam cæterorum, partémque ſibi arripit animi noſtri, qui vix totus ſufficit rebus gravioribus & neceſſariis. Religio Chriſtiana in ſuâ inſtitutione eſt admodum ſimplex, & ne nuda nimis videretur aut deſpectui eſſet Gentilibus & Judæis, ceremoniis & myſteriis viduata, in utroque genere ſeſe accommodârunt veteres temporum & populorum neceſſitati. Et nonnunquam, pro levitate humani ingenii, ad ſuperſtitionem ſemper propenſi, alia atque alia, nullâ urgente neceſſitate, admiſcuerunt. Hæc temere aſcita paulatim ſunt reſecanda, ut ad inſtitutionem primævam, puram ſimplicémque redeamus.

Denique, in iis quæ permiſſa ſunt prudentiæ Chriſtianæ circa ſacra, non tantùm rei ipſius, ſuâ fortaſſe naturâ indifferentis, ſed etiam quàm maximè circumſtantiarum habenda eſt ratio. Quod in Eccleſiâ infante & in-

Digitized by Google

incipiente æquum erat, adultæ forſan minùs convenit, aut ſupervacaneum videbitur. Alia eſt rerum facies de ſæculo in ſæculum, alia populi indoles in diverſis regionibus: Atque gentis Europææ cæteris ut ſeverius eſt ingenium, ita acrior inquiſitio nunc quàm olim. Progredimur, favente Deo, ad veritatem nudam, & pietatem puram: defixis ſemper oculis in fundamenta religionis, ſcilicet morum animíque ſanctitatem; ut ad habitum, indolem & analogiam œconomiæ Evangelicæ cultum fidémque noſtram componamus. Regulæ quas præſcripſerunt Apoſtoli in exercendis donis divinis, pari ratione locum habent in ritibus inſtituendis:
1Cor. xiv. 26. dein ult. *πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γενέσθω*, inquit S. *Paulus*, *Omnia ad ædificationem fiant*. Dein ſubjicit, *πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γενέσθω*, *Omnia decenter & ordine fiant*. His regulis obſervatis nihil errabitur in externis. Sed ex utràque parte oritur ſuperſtitio, vel obluctando ritibus appoſitis, vel inopportunos & infrugiferos accumulando: utrumque enim ordini & ædificationi obſtat. Cavendum autem, quod ſæpius monuimus, ne multitudine aut inutilitate ritulorum primarii objecti intercipiamus aſpectum. Eò enim omnia ſunt referenda, ut Deum colamus in Spiritu & Veritate, cum vitæ ſanctimoniâ
1Tim.i.5. & integritate. *Finis mandati* (inquit *Paulus* ad mentem Chriſti) *eſt charitas ex puro corde, & conſcientiâ bonâ, & fide minimè ſimulatâ.*

His interpoſitis, ad ultimam notam progrediemur. Diximus ſuprà ritus Chriſtianos non eſſe magicè efficaces: vel, ut loquuntur hodie, ex ipſo *opere operato*. Nulla dona

dona extraordinaria, nunc dierum, comitantur baptiſmum in adultis: nec in infantibus concipi poteſt *regeneratio* aliqua interna ante rationis uſum qualemcunque. Sed eſt utriſque ritus fœderalis initiationis Baptiſmus: cúmque adoleverint parvuli, ſi promiſſorum memores datam fidem præſtare conentur, nihil deerit ex parte Dei, nihil opis aut auxilii, quò minùs tales evadant, quales ſe futuros promiſerant ipſi, vel ipſorum fidejuſſores. Dein ad Euchariſtiam quod ſpectat, eſt quidem ritus ille vividus & actuoſus, ſed vim ſuam exerit movendo affectus, & excitando animam in cogitationes fervidas de morte Chriſti, de amore Chriſti, & de beneficiis ab his promanantibus ad fideles ipſius cultores. Nos etiam monet hæc commemoratio noſtri viciſſim erga Chriſtum officii: ut, ſiquid ſit ſenſùs ingenui, ſiqua memoria aut gratia benefactorum, ei nos præbeamus morigeros, qui, noſtrûm causà, mortem tulit acerbam, & pro nobis adhuc in cœlis apud Deum intercedit.

Hæc de re ipsâ: nec interea negamus, è Patribus nonnullos, de utroque ritu Chriſtiano, Baptiſmo & Cœnâ Domini, ita locutos eſſe, ac ſi quid magici aut myſtici utrilibet ineſſe credidiſſent. Ad Baptiſmum quod attinet, naſcente Evangelio mundum ſpectabant Chriſtiani ita ſervum & ſubditum imperio Satanæ, ut poſſidere videretur quodammodo, & quaſi habitare in ſingulis infidelibus, aut nondum baptizatis: atque eà ratione & intuitu Baptiſmum (cum ſuis adjunctis) habuere nonnulli veterum pro quo-

dam exorciſmo vel adjuratione, quibus abigebatur * ſpiritus immundus. Indè renunciatis operibus Satanæ à Catechumenis, adjurabant etiam aquam exorciſtæ, cruce ſignabant, aliiſque uſi ſunt ceremoniis in eà conſecrandà. Sæpe etiam differebant baptiſmum, ut notum eſt, ſequiores Chriſtiani uſque ad exitum vitæ, ut recèns loti, puriores & immaculatiores ad cœlum abirent.

* Cyril. Hieroſol. Catech. Myſtagog. Ἀλλ' ὅμως ἀκούεις τεταμένῃ τῇ χειρὶ, ὡς πρὸς παρόντα εἰπεῖν, Ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ. *Sed audis ſimul quòd, manu extenſâ, tanquam ad præſentem dicitur, Abrenuncio Tibi Satana.* Cum iis quæ ſequuntur Catech. 1, 2, 3. Vide etiam Tertull. de Coronâ, cap. 3.

Optatus Milev. l. 4. contra Parmen. hæc habet: *Neminem fugit quòd omnis homo qui naſcitur, quamvìs de Chriſtianis parentibus naſcatur, ſinè Spiritu immundo eſſe non poteſt: quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum ab homine excludi & ſeparari. Hoc exorciſmus operatur, &c.* Nec aliter S. Auguſtinus ad Sixtum Epiſt. 105. versùs finem. *Quid ad hoc reſpondeant, quòd exorciſantur & exufflantur infantes? Hoc enim proculdubio fallaciter fit ſi Diabolus iis non dominatur.* Dein Theodoretus in cap. 1. Cant. p. 1002. ita loquitur, ἀνάμνησον σαυτὸν τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας, ἐν ᾗ οἱ τελούμενοι μετὰ τὴν ἄρνησιν τοῦ Τυράννου, καὶ τὴν τοῦ Βασιλέως ὁμολογίαν οἱονεὶ σφραγῖδά τινα βασιλικὴν δέχονται πνευματικοῦ μύρου τὸ χρῖσμα. *Revoca tibi in mentem, quòd in ſacrâ myſtagogiâ initiati, poſt Tyranni abnegationem & Regis agnitionem, veluti ſigillum quoddam Regium accipiunt ſpiritualis unguenti Chriſma.* Denique Gennadius Maſſil. de Eccleſiaſt. Dogm. c. 31. ita rem totam exequitur. *Illud etiam quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu: cùm ſive parvuli ſive juvenes ad regenerationis veniunt ſacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quàm exorciſmis & exufflationibus Clericorum, Spiritus ab iis immundus abigatur.* Vid. etiam Conſtit. Apoſt. & Dionyſ. Areopag. apud Feuarden, p. 96. princ.

Apud Suic. voc. ἐξορκ. p. 1151. ſed vid. Genn. ipſum.

Ex

Ex his ceremoniis nonnullas meritò reliquimus, utpote nullâ fretas authoritate Chriſti aut Apoſtolorum, aptáſque nimiùm ad corrumpendam ſimplicitatem hujuſce ritûs Chriſtiani, ac ſi ei adeſſet etiamnum vis quædam myſtica ex ipſo opere operato promanans. Quæcunque fuerit olim in primis Eccleſiæ ſæculis hujuſce ritûs efficacia apud infideles converſos, quæcunque ſecuta ſint dona extraordinaria, eadem inter Chriſtianos natos non ſunt expectanda. Ut eſt ſimpliciſſimus hic ritus, ita rectiſſimè celebratur aquâ ſimplici, ut amputatis ſuperfluis quibuſcunque & ſuperſtitioſis appendiculis, *cultus* noſter *rationalis* in omnibus appareat.

Hæc de Baptiſmo: Quæ præterea in Euchariſtiâ explicandâ aut celebrandâ adjecerunt ſive Veteres ſive Neoterici, præter inſtitutum Chriſti & Apoſtolorum, ea pariter ſunt abſcindenda. Non licet in religione divinitùs traditâ, nova procudere myſteria, novam doctrinam ſacramentalem ritúſve pro arbitrio hominum. Nulla eſt mutatio *phyſica* panis aut vini in hôc ſacramento, (ſive in conſecratione, ſive poſt conſecrationem) ſed tantùm *moralis:* quatenus ab uſu communi ad hunc uſum ſacrum transferuntur hæc ſymbola. Qui verò, recitatis quibuſdam verbis, hæc corpora terreſtria, alterius prorſus ordinis & luti, in Corpus Cœleſte Chriſti transformare ſatagunt aut prætendunt, arte illi magicâ uti velle mihi videntur. Quandoquidem nullâ vi humanâ fieri hoc poteſt, nec ullo promiſſo divino

tanta

tanta vis in ſacerdotem confertur. Sed de hâc re, & de ſacramentis, * infrà plura.

Apud Gentiles, multifarii erant ritus Magici: quibus peractis certo modo, effectus aliquis extraordinarius, non vi cauſarum naturalium aut moralium, ſed virtute practi arcani cum quibuſdam Geniis ſubſequi ſolebat. Ritibus & ceremoniis myſticis (quas τελετὰς appellant Græci) in Deorum aut Dearum cultu, magnam vim attribuebant Ethnici: plenéque & perfectè initiatos, tam in hâc vitâ quàm futurâ beatos prædicabant. Futuram felicitatem ſibi pollicebantur Ὀρφεοτελεςαὶ, *Sacris Orphicis initiati.* Quam doctrinam, unà cum ſuis ſacris, ab Ægyptiis hauſiſſe videtur *Orpheus.* Ita *Plutarchus.* Teſtatur autem *Diodorus* Myſtas illos Ægyptiorum, etiam in hâc vitâ Deos habere propitios ſemper, & donorum omnium divinorum largitores, διαβεβόηται δ' ἡ τȣ́των, *&c. Vulgatum eſt* apud Ægyptios, *Deos, cùm invocati ſunt, adeſſe viſibiles & in periculis præſentiſſimos INITIATIS: ipſóſque fieri ſanctiores & juſtiores & per omnia meliores. Ideóque ex priſcis Heroibus & Semideis* (inter quos numerat Orpheum) *omnium illuſtriſſimos ritibus hiſce imbui & conſecrari cupiiſſe.* Hâc de re audiamus præterea *Pla-*

Plutar. Lacon. Apophtheg. L. 5. p. 224.

* Ubi in alterâ parte tractabitur de Sacramentis contra Pontif. Conſule Hooker. lib. 6. p. 363, 364. ubi oſtendit Pontif. non poſſe explicare rationabiliter illam efficaciam ſive vim conferendi gratiam, quam attribuunt Sacramentis: cùm neque velint id fieri immediatè per Spiritum Dei, neque moraliter; nec tamen phyſicè fieri poteſt.

tonem,

Digitized by Google

tonem, ab Ægyptiis pariter inſtitutum & inſtructum. ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεςος εἰς ᾅδε ἀφκίηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται. ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε και τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει. *Quicunque non initiatus, nec myſteriorum particeps, migrabit ad inferos, jacebit in luto. Quicunque verò purgatus atque initiatus illuc acceſſerit, cum Diis habitabit.* Multa ſunt in eundem ſenſum apud * veteres: quos pro otio quiſque poteſt conſulere. Phædon. p. 69. Vid. ibid. p. 81.

Præ-

* Iſocrates de myſteriis iſtis: Τελετῆς οἱ μετέχοντες, περὶ τε τῆς τῦ βίυ τελευτῆς καὶ τῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίυς ἐλπίδας ἔχυσι. *Initiorum participes & de vitæ exitu, & de omni ævo, lætiores ſpes habent.* Ariſtides in Panathenaicâ, Κέρδος τῆς πανηγύρεως, ἐχ' ὅσον ἡ παρῦσα ἀθυμία, ἐδ' αἱ τῦ προτέρυ χρόνυ δυσκολιῶν λύσεις καὶ ἀπαλλαγαί, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίυς ἔχειν τὰς ἐλπίδας. ὡς ἄμεινον διατάξαντας, καὶ ἐκ ἐν σκότῳ τε καὶ βορβόρῳ, κεισομένυς, ἃ δὴ τὰς ἀμυήτυς ἀναμένει. *Solennitatis ſacræ fructus eſt non tantum præſens animi tranquillitas, aut quòd à malis præteriti temporis exolvamur & liberemur: ſed etiam ut in morte ſpes lætiores habeamus; fore nempe ut meliori loco diſpoſiti, non in tenebris & cæno volutemur, quæ ſors eſt noninitiatorum.* Apud Authorem Axiochi (in operibus Platonis) ſub finem, Gobrias Magus, cùm ſtatum Beatorum in Campis Elyſiis diſcripſiſſet, ſubjicit, ἐνταῦθα τοῖς μεμυημένοις ἐςί τις προεδρία, καὶ τὰς ὁσίας ἁγιςείας κἀκεῖσε συντελῦσι. *Illic initiati primas tenent ſedes, & ibidem adhuc peragunt ſacrorum ceremonias.* Idem dixere Diogeni Athenienſes, Ἐν ᾅδυ προεδρίας οἱ μεμυημένοι τυγχάνυσι. *Apud inferos, primum locum habent initiati.* πρωτοκλισίας & πρωτοκαθεδρίας ambiebant Phariſæi in hoc mundo: (Mat. xxiii. 6. Id in futuro Regno petiiſſe videntur Zebedæi filii. *Mat.* xx, 21, 22. Horum utriuſque faſtum & affectationem dignitatis & imperii repreſſit Chriſtus. Audi quid Athenienſibus prædictis reſpondet Diogenes. Laert. in vit. γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος μεν καὶ Ἐπαμινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξυσιν, ἀτελεῖς δὲ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς

μα-

Præterea notare licet apud Gentes diverſos fuiſſe gradus initiationis in ſacris, & diverſa myſteria, minora & majora, uſque ad perfectionem. De his, tam Græcis quàm Barbaris, ita *Clemens Alexandrinus:* ἐκ ἀπεικότως ἄρα καὶ τῶν μυςηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν, ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λȣτρόν· μετὰ ταῦτα δ' ἐςὶ τὰ μικρὰ μυςήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων· τὰ δὲ μεγάλα, περὶ τῶν συμπάντων· ȣ̓ μανθάνειν, ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ καὶ περινόειν τήν τε Φύσιν καὶ τὰ πράγματα· *Non abs re ergo in myſteriis apud Græcos, primo loco ſunt luſtrationes, ſicut etiam apud Barbaros lotio. Poſt has autem ſunt Myſteria Parva: quæ fundamentum aliquod habent doctrinæ & præparationis ad futura. Magna autem myſteria verſantur circa univerſum: Neque reſtat amplius diſcere, ſed inſpicere & mente comprehendere Naturam & res ipſas:* Hæc diſtinctio ſæpius occurrit apud Veteres.

μακάρων νήσοις ἔσονται). *Ridiculum, inquit, eſt, ſi Ageſilaus & Epaminondas in luto habitabunt, vulgares autem quidam initiati in Beatorum inſulis futuri ſunt.* Acerbius eſt quod retulit Antiſthenes ſacerdoti Orphico, dicenti, initiatos multorum bonorum apud inferos participes eſſe. Τί ȣ̓̃ν, ἔφη, ȣ̓κ ἀποθνήσκεις; *Cur igitur, inquit, non moreris?* Idem de his myſticis canit Sophocles. Quem ideo & Diogenem hâc in re inter ſe committit Plutarchus, *De audiendis Poëtis* (p. 21.) & Diogenis dictum duriùs profert. Et fatendum eſt ex Ethnicis probiores & ſapientiores his myſteriis adjunxiſſe meliorem vivendi rationem & rerum optimarum ſcientiam. Vide, cùm vacat, Cicer. de Leg. l. 2. c. 14. & Arrian. in Epict. l. 3. c. 21. Ad hanc πανήγυριν & τετελεσμένȣς, alluſiſſe videtur Apoſtolus ad Hebr. cap. xii. 22.

Vid.

Digitized by Google

Vid. Suidam. voc. Ἐπόπται. *Senecæ quæſt. nat. l.* 7. *c.* 31. *& Epiſt.* 90. *& ſcriptores de Eleuſiniis, alióſque multos.*

Neque minùs apud Judæos diverſi erant gradus, ut ita dicam, Proſelytiſmi. Habuerunt primùm Proſelytos *Portæ*, dein *Juſtitiæ*, ut eorum verbis utar. Et in his recipiendis & initiandis diverſos adhibuere ritus, ut omnibus notum eſt. Denique, nihil inſoliti, indecori aut ſuperſtitioſi in proſelytis initiandis uſi ſunt Apoſtoli, quorum exempla ſequenda proponimus.

Hunc progreſſum aut gradationem in ſacris conſecutus mihi videtur mos veterum Chriſtianorum, qui convertendos ad Fidem in claſſes diſtribuebant: præcipuè in *Catechumenos* & *illuminatos*: De quibus paſſim apud Patres, de eorum diſcriminatione, officiis & privilegiis. Pari modo Doctrinam Chriſtianam diſtinguebant veteres in τὰ ἐκφορα, & τὰ ἀπόῤῥητα: Illa apud omnes enunciari poterant, Hæc arcana apud adeptos tantùm aut τελείȣς. Atque illud doctrinæ, & diſcipulorum diſcrimen reſpicere videtur S. *Paulus* multis in locis. 1 *Cor.* ii. 6, 7. *Phil.* iii. 15. *Hebr.* v. 13, 14. & vi. 1. Et ad ipſius, ut putabant, exemplum, τὰ ἀπόῤῥητα, ſive τὰ μυςήρια, non declarabant palàm veteres Theologi: Neque in colloquiis familiaribus, neque in Catecheſibus, neque in concionibus: nec ullo modo coram Paganis, Catechumenis aut aliis quibuſcunque, non initiatis. Quibus præſentibus, aut inceptum ſermonem abrumpen-

Digitized by Google

tes, tacebant: aut rem ſacram obſcurè & ambiguis verbis ſignificabant: hàc adjectà formulà, *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, ἴσασιν οἱ πιςοί. Nôrunt Initiati, nôrunt Fideles.* Quæ dictiones multoties occurrunt in ſcriptis Patrum.

Præterea, de tacendis myſteriis ſacris multa ſunt apud Gentes, * & ſeveriſſima præcepta. Etiam apud Philoſophos, præcipuè Pythagoricos, invaluit iſta diſciplina. Et eidem methodo, iiſdem veſtigiis inſtiterunt, ut jam monuimus, è Chriſtianis Doctoribus plurimi, in Diſciplinà Arcani, ut appellatur, obſervandà. Eodem modo de arcendis aut amovendis non initiatis, dum quædam ſacra opertiora fierent, mos erat communis Chriſtianis cum Gentibus: ut ex utriuſque Ritualibus patet. Denique ipſa vocabula ad ritus Gentilitios ſpectantia, mutuati ſunt Chriſtiani, ut *μυεῖσθαι, μύησις, μεμυημένοι,* & *ἀμύητοι* Dein *τελετὴ, τετελειωμένοι, ἀτέλεςοι: ἐπόπται* & *ἐποπτεύειν*: & hujuſmodi alia, ut ſatìs notum eſt iis qui in ſcriptis Patrum verſantur. Sed de his ſatìs:

* *Cùm vel ex formâ omnibus myſteriis ſilentii fides debeatur: Samothracia & Eleuſinia reticentur: quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animadverſionem provocabunt, dum divina ſervatur, &c.* Tertul. Apolog. c. 7. In Orphicis carminibus, his conſona dicuntur. *Τὰ παρεισαγόμενα κτ̓ τὰς τελετὰς, περὶ ὧν ἐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱςορεῖν τὰ κτ̓ μέρος. Quæ myſteriorum ceremoniis exhibentur, ea ſingulatim à profanis,* aut non initiatis, *enarrari, nefas eſt.* Diodor. Sic. l. 3. m. p. 196. Hujuſmodi alia plura paſſim occurrunt apud Authores Veteres, tam Chriſtianos quàm cæteros: quæ notiora ſunt quàm ut hîc repetantur, ab aliis pridem congeſta.

Sive

Sive verba, ſive mores & ritulos è Gentium ſacris aut Judæorum ad ſua tranſtulerint Chriſtiani, id in mitiorem partem interpretor: non malo animo factum, ſed ad ornandam, ut illis viſum eſt, religionem Chriſtianam, nè nuda nimis, ſimplex & plebeia haberetur: vel in blandimenta exteris, quò cum iis ritus quodammodo participare, aut ſaltem, (affectatà novitate) non prorſus abſcedere viderentur. Sed abiere, nunc dierum, hæ rationes qualeſcunque aut hujuſmodi: & mutatis temporibus rerúmque momentis, mutanda ſunt conſilia. Ea quæ jam deſierunt eſſe uſui, abjicienda ſunt ut ſupervacanea, imò noxia, quatenus ſimplicitatem religionis Chriſtianæ inficiunt aut corrumpunt: ut fucus ad ornatum primùm adhibitus, tandem exedit & deformat nativam cutis pulchritudinem. Acris eſt in his & hujuſmodi reprimendis ſententia Tertulliani: *Sed quoniam unum aliquod attigimus vacuæ obſervationis* (Lotiones intelligit, & externam munditiam) *non pigebit cætera quoque denotare quibus meritò vanitas exprobranda eſt, ſiquidem ſinè ullius aut Dominici aut Apoſtolici præcepti auctoritate fiunt. Hujuſmodi enim non religioni, ſed ſuperſtitioni deputantur: affectata & coacta, & curioſi potiùs quam rationalis officii: certè vel eò coërcenda, quòd Gentilibus adæquent.* De Orat. c. 12.

Dicam quod res eſt: in cultu divino nulla ſunt apud nos myſteria, ut apud Gentes. Nihil abſconditum, nulla ſacra aut opertanea aut nocturna, omnia fiunt in propatulo:

patulo. Nulla eſt diſtinctio, hàc in re, inter vulgus & initiatos: quos nimiùm diſtinxere, tam Gentes quàm Judæi, (*Mat.* ix. 11. & xi. 19. *Joh.* ix. 34.) *οἱ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται*, id *Johanni* renunciavit Chriſtus inter argumenta & characteres ſuæ œconomiæ, *Mat.* xi. 5. Nullam gentem ſigillatim reſpicit Evangelium, nullum hominum ordinem, ſed genus humanum. Quòd ſi olim ſacramentis ſuis ceremoniolas quaſdam aut reticentiam invexerint antiqui, quò majorem iis reverentiam & venerationem conciliarent, aut quàcunque aliâ de causâ, id temporibus iſtis dandum eſt, nec ultrà re-
Mat. x. 27. tinendum. Omnia tandem in aperto dicenda, agenda, exponenda. Nullius præcepti, nullius ritûs Chriſtiani nos pudet. Nullum fugit examen, nullius aſpectum inſtitutio noſtra: authoritatem divinam & rationem puram in omnibus appellamus. Denique, non tam in peragundis ritibus, quàm in vitæ & animorum ſanctimoniâ, ſalutis noſtræ collocamus cardinem: Et pro his dotibus internis cuique Deus metietur ſuam beatitudinem.

Ad reliqua minora quod ſpectat, de Feſtis aut Jejuniis indicendis, de Veſtibus ſacerdotalibus, de formulis neceſſariis in ſacris adminiſtrandis, & hujuſmodi aliis, fiant omnia ſecundùm regulas Apoſtolicas & prudentiam Chriſtianam ad decorem & ædificationem, ut tam ſuperſtitio quàm *ἀκοσμία* excludantur. Hæc de ritibus Chriſtianis breviter dicta ſunto.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

De morum regula & vitæ præceptis ſecundum Legem Chriſtianam.

DE moribus Chriſtianorum, aut Diſcipliná morali ſecundùm Legem Chriſtianam, quædam in genere ſuprà notavimus. Fundamentum omnis legis de moribus inſtitutæ eſt Lex naturæ. Sed huic fundamento (quod de evangelio dixit Apoſtolus) alii atque alii diverſum ſuperſtruunt, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, ſtipulam. Ex his ſuperſtructis nonnulla ſunt ſolida, apta & idonea: alia levia & inutilia. Atque hæc obſervanda ſunt & trutinanda in probandis aut improbandis ſingulorum legibus, Judæorum, Gentium, aut aliorum quorumcunque: In doctriná morum Evangelicâ nihil reperitur ſuperfluum & inutile, multò minùs noxium aut legi naturæ contrarium. Dixi *contrarium:* Diſtinguendum enim inter legem naturæ & libertatem naturæ. Quod in ſtatu naturali liberum eſt, lege poſitivâ reſtringi poteſt, in commodum ſocietatis atque generis humani, aut in ſalutem vitæ futuræ. Idque fieri ſolet ubique gentium, cùm res poſtulat, ob commune bonum.

Hoc præmiſſo, facilè conſtabit nihil non æquum eſſe, rectum & laude dignum in *Lege morali Evangelicâ:* Quod utinam de praxi &

& moribus Chriſtianorum perinde dici potuiſſet. Sed proh dolor! proh pudor! quantum à lege recedunt mores? Immane quantum diſcrepat à regulâ & præceptis Chriſti & Apoſtolorum, & ab eorundem exemplis, Chriſtianorum vita? Procul abeſt ut hîc intelligam, quæ olim objecta fuere Chriſtianis. Thyeſtæas epulas, artes magicas, concubitus inceſtos, & ejuſmodi alia: Hæc pro atrocibus calumniis habeo; ſive Judæorum, ſive Gentium, ſive denique hæreticorum malitiâ confictis. Hi ſunt inimicorum morſus & defamationes ad conflandam invidiam; ſed amicorum tela aut vulnera magìs ſunt metuenda, & quæ ab iis funduntur querelæ omnium ſunt graviſſima. Conqueſti ſunt olim, & conqueruntur hodie de moribus ſui ſæculi Chriſtiani devotiſſimi. Lege, cùm vacat, Salviani *de Gubernatione Dei* librum tertium & quartum.
M. p. 49. In tertio, inter alia hæc habet, *Quotum enim quemque invenies, &c.* pudet cætera dicere. Dein ſub fine ejuſdem libri ſubjicit, *Quo fit ut etiam nos, qui Chriſtiani dicimur, perdamus vim tanti nominis, vitio pravitatis. Nihil enim omnino prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus: quia vita à profeſſione diſcordans abrogat illuſtris tituli honorem per in-*
M. p. 78. *dignorum actuum vilitatem, &c.* Et in ſequenti libro, *Quæ cùm ita ſint, magnâ videlicet nobis prærogativâ de nomine Chriſtianitatis blandiri poſſumus, qui ita agimus ac vivimus, ut hoc ipſum quod Chriſtianus populus eſſe dicimur, opprobrium Chriſti eſſe videatur. At è diverſo in paganis quid horum ſimile quæ dicimus, &c.* De-

Digitized by Google

Denique Chriſtianos Barbaris ipſis deteriores exhibet *.

Hæc cùm ita ſint, Quid ſi à mortuis reſurgerent Apoſtoli, atque orbis Chriſtiani faciem intuerentur: vitiis obtectam, & magni nominis umbram? Ipſos puderet, & tantùm non pœniteret ſuorum laborum. Vel ſi, quieſcentibus Apoſtolis, reſurgerent Philoſophi & gentilium ſapientes: & perluſtrato terrarum orbe à nobis quærerent quid profuerit humano generi religio Chriſtiana, quoad mores & vitæ probitatem? quoad pacem & bonum publicum? Nos utique appellatis Barbaros per opprobrium: ſed nobis barbaris quid præſtatis vos Chriſtiani? His dictis factiſque reſpondeant illi, quid apud nos præſides ſunt rerum humanarum & divinarum. Id unicè in me probandum recipio, inſtitutionem Chriſtianam, modò firmiter ei adhæreamus, optimam eſſe & utiliſſimam, tam ad mores cujuſque formandos, quàm ad bonum publicum: & quod maximum eſt, ad ſalutem & felicitatem æternam generis humani in vitâ futurâ obtinendam.

* *Vide etiam quam nobis dedit effigiem mundi Cypriauus, in Epiſt. ad Donatum quæ dicitur ſecunda; ubi demptis iis quæ ad tempora ſpectabant Æthnica, reliqua in tempora Chriſtiana nimio plus congruunt. OEconomiâ ſuâ, ut mihi videtur, non minùs abuſi ſunt Chriſtiani, quàm ſuâ olim Judæi; nec illis plura aut graviora exprobrârunt Iſaias, Jeremias, aliique Prophetæ, quàm nobis objicienda eſſent, ſi nobiſcum hodie Deus cauſam ſuam ageret.*

In-

Inſtitutio moralis conſtat præceptis & exemplis: dein præmiis & pœnis debitis confirmatur. In horum nullà parte nos deſtituit inſtitutio Chriſtiana. Primò, quoad præcepta, non quidem digeruntur illa ordine & per capita, ut ſolent Ethica Philoſophorum: nec unà leguntur collecta, ut Corpus Legum, aut Doctorum ſyſtemata. Sed ſparſim occurrunt in ſermonibus Chriſti, & in ſcriptis Apoſtolorum; quâ ratione commodiùs inſtruitur vulgus, & inter legendum ſacras literas ſenſim imbibitur doctrina ſalutaris. Neque nos deficit in ullo genere officiorum Lex Evangelica, laxa licèt & ſinè formâ artis tradita. Imprimis enim quæcunque lege aut lumine naturæ honeſta ſunt & laudabilia, ea ſequi & amplecti tenemur, quinetiam præferre, ſi forſan officia officiis obſtiterint. Dein actus omnes humanos complectitur: Dicta, Facta, Cogitationes. Et in ſingulis viam rectam & honeſtatis liquidæ veſtigia ſequitur. In verbis imprimis, ſive in familiari colloquio, ſive in commerciis, fidem, ſinceritatem, ſimplicitatem jubet, cogit, imperat. Sinè fuco, ſinè dolo aut artificio. Nec ullum jusjurandum ineundum & proferendum eſſe permittit, abſque causâ gravi & publicâ. Nec quâvis de causâ perjurium, teſtimonia falſa, convitia, maledicta aut execrationes. Pariter obloquia & detrectationes clandeſtinæ, & quæcunque lædunt alterius famam, malo animo aut ex affectu privato, apud nos vetita ſunt & odioſa. Præterea pudorem, modeſtiam, & urbanitatem in ſermone colimus,

Digitized by Google

limus, ut aliàs ubique: exulantibus omni levitate inhoneſtâ, & ſcurrilitate; nec minùs verborum aſperitates, mordaces & illiberales jocos culpamus & aufugimus. Denique, ut paucis dicam, Linguæ & vaganti licentiæ verborum ubique frænos injicimus; ne quid indecori in ſe, ne quid injurioſi in proximos, aut in Deum prophani, impii, aut irreligioſi ex ore Chriſtiano proveniat.

In factis & operibus multò magis interdicitur Chriſtianis omne genus mali, levis licèt & exigui: quinetiam omnis ſpecies mali. Non tantùm extra culpam eſſe debemus, ſed etiam, ſi fieri poteſt, extra culpæ ſuſpicionem aut proximitatem. Non ſatis eſt viro Chriſtiano ad leges humanas juſtum eſſe. Quicquid poſtulat humanitas, quicquid benevolentia aut charitas mutua, nobis præcipitur religioſè obſervandum. Et in charitatis officiis, tam Judæorum quàm Gentium inſtitutis omnibus prælucet Lex Chriſti. Non amicis tantùm, ſed inimicis etiam benefaciendum: ut Patrem noſtrum cœleſtem imitemur. Pauperibus, ægrotis, aut infirmis quovis modo, pro viribus ſuccurrendum, ope & conſilio. Legiſlator noſter Chriſtus, miſeriam humanam ut omnium optimè intellexit, ita omnium ei maximè conſuluit. Philoſophi in altis cogitationibus occupati, vulgus hominum ferè prætermiſerunt, aut permiſere regendum ſuæ gentis legibus. Sapientibus & veritatis ſtudioſis ſua accommodârunt præſcripta: Gregem popularem, prophanum, & tantùm non contemptui habuere. Sed alia mens, aliud propoſi-

1 Theſſ. v. 22.

Digitized by Google

poſitum Servatori noſtro clementiſſimo: qui totam gentem humanam, quantam quantam, amore complexus eſt, atque ſuâ lege & conſiliis adjuvare voluit. Propterea infirmitates humanas & ſtatum luctuoſum intuitus, rerum indigentiam, morbos, calamitates, & quicquid incommodi adhæret mortali vitæ: ut his malis quæ penitus tolli non poterant, allevamentum aliquod afferret, opera charitatis, miſericordiæ, atque opis mutuæ in ſuâ cuique claſſe injunxit. Atque ea omnia in vitâ futurâ centuplicatò remuneranda promiſit. Nec malis tantùm corporis ſubveniendum, ſed animi multo magis: Occurrere aut mederi vitiis, erroribus, ignorantiæ, morbis graviſſimis: & vaganti populo viam ſalutis oſtendere, beneficium cumulatius eſt quàm febres, frigus aut famem depellere. Quapropter præcepta dedit Chriſtus de moribus inſtituendis aperta, manifeſta, cuique obvia & expoſita. Ut omnibus conſtarent ſua officia, ut omnibus ad cœlum nota eſſet via.

Et quò regulam æqui & boni facilem & expeditam, & veluti in pectore judicem domeſticum, quiſque haberet: *Quod tibi non vis fieri*, inquit Chriſtus, *id alteri ne feceris.* Nec Lex eſt æquior ulla. Favemus plerumque partibus noſtris: ut æquum fiat judicium; mutetur perſona, & loco Rei, aut indigentis ope, teipſum conſtituas; & quicquid tibi eodem modo peccanti aut indigenti, indulgendum petiturus eſſes, id totum alteri concedas: Inter mortales, peccatores & indigos, hic eſt modus æquiſſimus:

ut

ut habitâ ratione affectuum & infirmitatum humanarum, non ad jus ſummum alter alterius res & actiones exigamus. Nec id tantùm nobis præcipitur, ut in dubiis partem ſequamur mitiorem, ſed etiam ut peccata manifeſta alii aliis remittamus: Deus M. xviii. bone, quoties & quouſque ex tuo præcepto 22. aut conſilio!

In eundem finem, ne ex amore ſui, aut ex impetu iræ peccetur, nobis prohibita eſt omnis vindicta privata; ad pacem & amicitiam conſervandam diſſimulandæ ſunt leves injuriæ, & pro viribus preferendæ graviores. Nemo temere in jus vocandus: ſed cùm neque ferri poſſunt injuriæ, neque lites componi, permiſſum eſt deferre cauſam ad magiſtratum, ut ſinè metu aut amore res ex æquo definiatur. Hæc inter privatos tenenda eſt moderatio & æquanimitas, ſed erga Principem aut Magiſtratum majori adhuc utendum eſt patientiâ. Dei ſunt miniſtri ob bonum publicum, & ob idem bonum tolerabilia omnia ſunt toleranda. Bellum Civile eſt immane monſtrum, quod innocuos pariter ac nocentes unà devorat & abſorbet. Neque cum exteris gerendum eſt bellum magiſtratui Chriſtiano, niſi extremâ neceſſitate coacto. Denique, ut verbo dicam, in rationibus juſti ſuum cuique tribuimus, ſecundùm varios hominum ordines: Neque id parcè aut gravatè, ſed cumulatim & alacriter.

Ita Juſtitiæ & juris naturalis præſcripta retinet & tranſcendit Lex Chriſti. De

Digitized by Google

Temperantiâ jam dicendum, quid quiſque ſibi debeat in ſui corporis regimine: Quid animæ divinæ conſervandæ: quid brutæ, quam participat, naturæ cohibendæ. Præcipitur imprimis, ut in voluptatibus corporeis utendis parci ſimus, modeſti & moderati: ut appetitus omnes ſensúſque inferiores ratione regamus. Nullâ de causâ, ſive in ſacris, ſive in convivalibus, effrænatæ indulgendum licentiæ. Nulla apud nos Bacchanalia, aut Orgia quæcunque, impura aut furioſa. Ebrietas aut impudicitia virum honeſtum dedecet, multò magis Chriſtianum. Gulæ & abdomini ſervire turpe eſt, cæteriſve cupiditatibus carnis. Caſtus cœlibatus apud nos laudatur, honeſtum habetur Conjugium: ſed unius cum unâ, ídque ſinè abdicatione, niſi crimen adulterii intervenerit. In cæteris omnibus vivendum eſt, ut decet ſobrios & frugi homines.

Ea quæ nos docet Chriſtiana *Philoſophia*, ut ita dicam, cùm differit de *contemptu mundi*, & deſpicientiâ rerum humanarum præ divinis, temporalium præ æternis: Præterea, cùm de tundendâ & ſubjugandâ hâc carne, quâ mens infeſtatur, nos ſæpius commonet, in hôc corpore bruto, & ad voluptates craſſàs nimis propenſo: Ea, inquam, nobis indicant voluntatem, indolem & propoſitum legis Chriſtianæ: monéntque temperatos eſſe debere ipſius cultores, non tantùm in deliciis corporeis, ſed etiam in honoribus ambiendis, divitiis appetendis, cæteríſque quibuſcunque quæ ad vitam hodiernam & animalem ſpectant. Et ſi quid ſecus videris in praxi noſtrâ, non id Legi

aut

Digitized by Google

aut Legiſlatori vertendum vitio, ſed falſi nominis Chriſtianis: Qui ſe obſtrinxere ſacramento de renunciandis cupiditatibus mundanis, & ſoli Deo ſemet conſecrandis, nec datæ fidei reſpondent.

Epicureis habenda eſt cura Corporis, Chriſtianis Animæ. Præ quâ, ut nos docet Chriſtus, ſordet & vileſcit totus hic mundus. Res caduca Mundus, cujus ſchema præterit, ut & hujuſce mortalis corporis. Anima autem eſt immortalis, neſcit mori: & indignè patitur perituri corporis aut perituri mundi ſe fieri mancipium. Præterea, Peregrini ſumus in hôc mundo, inquit doctrina Chriſtiana: Quid quæritis hic ſedes quietas, quid honores, aut divitias, craſtino die abitura omnia. Regnum cœli primò quærite, Civitatem permanentem, theſauros perennes, quos neque fures eripere poſſunt, nec tineæ erodere. His omnibus admonemur, ut paucis contenti ſimus in hâc vitâ, aſpirantes ad majora in futurâ: ubi patria, ubi ſpes noſtra & hæreditas.

1 Pet. ii, 11.

De *Fortitudine* Chriſtianâ ſiquid dicendum eſſet, multa ſuppetunt exempla & præcepta. Non autem fortitudinem illam bellicoſam velim intelligas, quæ ſanguine gaudet, & inani gloriâ animatur: malè audit apud Chriſtianos iſta ferocitas. Sed firmitatem illam animi & conſtantiam intelligo, quibus armati fortiter patimur mala in causâ bonâ, & fortunam adverſam æquo animo. In virtute & veritate propugnandis elucet maximè fortitudo animi: Cùm, nec metu hominum potentum, aut bono-

bonorum, aut famæ, aut ipſius vitæ diſpendio, abſterremur ab inceptis præclaris, & humano generi profuturis. Hac in re nobis præivit Chriſtus ſuo exemplo, præivere Apoſtoli & Martyres alii. In his rebus ſeſe exercet & ſpectatur magnanimitas Chriſtiana: Non in ardenti prœlio, aut in ſcandendis muris & aggeribus hoſtium: tumultuante intus ſanguine, & turgeſcentibus venis, ut neque timori locus eſſe poſſit, neque rationi. Vera magnanimitas eſt res tranquilla & ſevera, in receſſu mentis poſita: ratione ſedatâ & meditatione alitur, non halitibus ſanguinis aut fervore præcordium, ut furor Martius. Naturam non obruit vi & ſtrepitu, ſed querelas ipſius audit placidè, labantem ſuſtinet, & victricem rationem ſequitur. Nec ſingularis gloriæ aut nominis affectatione, mala perfert, aut à publicâ recedit viâ, ſed ex amore Dei, juſti, veri, & communis boni.

Dixi in hâc palæſtrâ nos ſuo exemplo præiviſſe Chriſtum; præivit certè, & glorioſiſſimus exiit. Non tantùm contradictiunculas naturæ humanæ, ſed dolores omnes & aculeos ſentit, pertulit, vicit. Prænovit quæ paſſurus eſſet mala, nec refugit, non ſubitò & inopinatum corripuere, ſed præmonitum & præſcium: ſponte ſubiit & deliberatè quæcunque paſſus eſt, nec ſe imminenti ictui ſubtraxit. Sed quæ, inquies, pertulit Chriſtus, & quo fine? Convitia & opprobria populi, calumnias & tumultus intelligo. Nec tantùm populum maleſanum, ſed etiam præſides & primores Eccleſiæ Judaicæ

Digitized by Google

daicæ ſibi inimicos habuit. Non ſolùm con- Mat.xxvi
temptui & faſtidio habuerunt tanquam ho- 16.
minem vilem & proletarium: ſed, triginta
argenteis venditum coram tribunali ſiſte-
bant, falſóque accuſabant, ut perturbatorem
aut blaſphemum: judicémque reluctantem
in ſuas partes trahebant. Vinculis conſ-
trinxere, flagellârunt lictoribus, ſannis &
dicteriis illudebant. Purpurâ indutum, &
ſceptro arundineo, ſpinis coronârunt, per
ludibrium & non ſinè dolore: eíque præ-
tulere prædonem & raptorem. Denique in
os ſpuebant, colaphis cædebant, & omne
genus injuriis. Sed quid tandem, quo exi-
tu, quæſo? Per fas nefáſque damnatum, ad
mortem pertraxere. Innocuum, inquam,
per fas nefáſque damnatum. Audi id ex Mat.
ore Judicis, *Videns autem Pilatus ſe nihil pro-* xxvii. 24,
ficere, ſed majorem tumultum fieri, acceptâ a- 25.
quâ abluit manus coram turbâ: dicens, INNOXIUS EGO SUM A SANGUINE HUJUS JUSTI: Vos videritis. Et reſpondens univerſus populus dixit, Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros. Dira hæc quidem, ſed quærendum ſupereſt, quo genere mortis plectebant? ſpero levis & ſubitaneæ, aut ſaltem minùs infamis. Quinimo nec cruciatibus nec ignominiæ pepercere Judæi, *Cruci affixus eſt Jeſus Nazarenus,* inter duos Latrones, in campo Golgothæ, ſubſannante & irridendente populo. En funeſtam tragœdiam! Sed quem in finem, quo propoſito, tot & tam acerba pertulit Chriſtus? Dico, in ſalutem humani generis, ad confirmandam veritatem religionis ab ipſo

pro-

Digitized by Google

propoſitæ, & ad gloriam cœleſtem adipiſcendam.

Hactenus de exemplo Chriſti: Quod ſæpius inſpicere juvabit, quod ſequamur & imitemur, oportet, pro viribus. In opprobriis vulgi & calumniis malevolorum per-
Mat. x. 33. ferendis ſimus animoſi: quum authoritas ac-
Mar. viii. ceſſerit & obſtiterit, miti ſed infracto a-
38. nimo, in causâ veri, juſti & honeſti per-
Luc. ix. ſiſtendum; In quo & quali mundo vivimus,
26. 2 Tim. ii. præmonuere ſæpius Chriſtus & Apoſtoli,
12. (*Joh.* xiv. 17. & xv. 18, 19. & xvi. 33. & xvii. 14. & xviii. 36. 1 *Cor.* ii. 12. *Hebr.* xi. 30. *Jam.* vi. 4. 1 *Joh.* ii. 15, 19.)
1 Pet. iv. atque ſuis exemplis comprobârunt. Non ita-
12, 13, 14, que turbemur aut percellamur tanquam re no-
&c. vâ & inopinâ, ſi nos mundus oderit aut malè tractaverit. Quicquid Deo ſpectatore & conſcientiâ teſte dignum ſit, id age, fremente licèt mundo hodierno. Hoc decet virum Chriſtianum, fortem & magnanimum: qui
Mat. x. pœnam fugit alterius vitæ, præmium expec-
32, 33. tat ſempiternum.

Nec huic fortitudini aut magnanimitati ullo modo repugnat HUMILITAS, inter virtutes Chriſtianas laudatiſſima. Humilitas enim ſita eſt potiſſimùm in comparatione tenuitatis noſtræ cum magnitudine & perfectione Dei; & quò magis infinitam illam diſparitatem perſentiſcimus, eò nos minoris eſſe ducendos, pulviſculos, vermiculos, res nihili exiſtimabimus: Neque indignanter ferendam eſſe ſortem noſtram, quocunque nos vertat Providentia, quocun-

cunque loco hodie conſiſtamus, ſummo, medio, infimo: dum mundi Rector immenſo torquet volumine univerſam rerum machinam. Præterea, infinitæ huic ſapientiæ, juſtitiæ, & bonitati confiſi, nihil dubitamus, tandem bonis bene ceſſura omnia, & ſecus facientibus malè. Atque illâ ſpe & fide erecti, parvi facimus quicquid nobis acciderit in hâc vitâ caducâ & momentaneâ. Denique, Immortalis eſt Anima humana, ſepulto corpore vivimus, atque vitam nobis æternam & æternè beatam promiſit Chriſtus, morigeris & obſequentibus ipſius præceptis. Quid itaque moramur unius momenti incommoda? Dolores fugitivos, aut perpeſſiones quaſcunque cum pondere futuræ gloriæ minimè comparandas? Macte animo, Chriſtiane: Ducem ſequere, & futurum præmium ſemper intuere. Erga Deum humilis, ſubmiſſus, ſupplex: erga malum mundum intrepidus, cùm de causâ Dei agitur, virtutis & veritatis.

Rom. viii. 18, 38, &c. 2 Cor. iv. 17, 18. Hebr. xii. 2.

Eſt etiam erga homines exercenda Humilitas, quatenus opponitur illa virtus ſuperbiæ, & faſtoſo deſpectui aliorum. Sunt enim ea vitia maximè odio habenda. Oritur autem ſuperbia à falsâ ſui exiſtimatione & ſuorum bonorum. Cùm natalibus, divitiis, honoribus, ingenio, pulchritudine, cæteriſve bonis externis aut caducis inflati, alios in inferiori loco poſitos contemnimus, aut æquo minoris æſtimamus. Debetur utique his Magnis in hôc mundo ſuus honos, ad conſervandum ſæculi regimen & ordinem: ſed vera dignitas aliunde metienda

eſt, à bonis internis, atque animi dotibus non perituris: Et qui hæc colunt maximè, neque tumidi ſunt aut inſolentes in pares aut impares; officia ſua & partes implent. Neque tenemur abjecto eſſe animo, aut iniquum de nobiſmetipſis judicium ferre, ſed modeſtum & moderatum. Parcamus cenſuris, ſuſpicionibus aut accuſatiunculis, publicis aut privatis: & propriarum infirmitatum conſcii, propenſiores ſimus in illam partem, quæ alterius favet meritis. Hæc de humilitate.

Hactenus mores externos, dicta & facta præcipuè reſpeximus. Sed affectus & cogitationes Deus inſpicit: Fontes boni & ma-
Mat. xv. 19. li, ac futuræ felicitatis aut miſeriæ. Sinceritatem in omnibus poſtulamus, præcordia & penetralia animi ingredimur. Lex Judaica præmiis tantùm temporalibus ſuffulta, exteriori morum innocentiâ contenta fuit. Litera, inquam, legis Moſaicæ; abſit enim ut putemus nullos fuiſſe inter Judæos ex animo & cordicitus probos pióſque viros, ſed ab altiori doctrinâ edoctos. Meri enim Judæi, præceptis ritibúſque ſuæ legis expletis, ſe juſtos putabant coram Deo;
Mat. v. 20. 1 Cor. xiii. 3. ut Epiſtolæ *Paulinæ* ſatìs teſtantur. Sed de Lege Chriſtianâ id dici non poteſt: quæ parvi facit opera alioquin bona, ſinè cordis affectu, & calore vitali pietatis & charitatis. Nec dona quævis aut *χαρίσματα*, extraordinaria licèt, aut virtutes mirificas, ullius ponderis, nedum cœlo digna putat
Mat. vii. 21, 22, 23. 1 Cor. xiii. 12. Chriſtus. Ea etiam Apoſtolus habet inſtar æris ſonori, ſinè vi, ſinè effectu. Denique,

que, Chriſtianum nomen aut titulum, cultum externum, ritus ſacros, pietatis formam ſinè internâ ſanctitate, parvi facimus, ſi non faſtidimus. His nimiùm confiſi ſunt tam Judæi quàm Gentes : qui initiationibus ſuis & ceremoniis ſacris peractis, rem totam religionis expeditam crediderunt. Híſce non penitus acquieſcimus, ſed utimur, ad uniendam voluntatem Deo, & inflammandum pectus amore rerum divinarum. Neque enim ſicca & arida eſt Religio Chriſtiana, in intellectu tantùm, aut actibus exterioribus ſita, ſed eſt vivida, &, ut ita dicam, affectuoſa. Hæret in medullis & in intimo Spiritu, pervadítque & imbuit omnes animi facultates, & in partes Dei, pietatis & virtutis convertit.

2Tim. iii. 5.

Pari modo cùm de vitiis cohibendis agitur, non tantùm pravos & incompoſitos mores prohibet, ſed etiam motus animi & cupiditates impuras aut nefarias, pro peccatis habet diſciplina noſtra. *Beati ſunt puri corde*, inquit Chriſtus, *ipſi Deum videbunt*, pari ratione impuri corde, quicquid foras apparuerit, non videbunt Deum. In hàc autem viſione ſumma conſiſtit felicitas. Nempe ſemina fortis noſtræ futuræ jacent funditùs in ipsâ Animâ : Et depoſito hôc corpore, cùm nuda manet, vivítque Deo ſoli & ſibiipſi, ab híſce duobus haurienda eſt ſua felicitas. Deus autem ſe communicat unicuique, ſuóſque influxus ſalutiferos, plùs aut minùs, pro qualitate ſubjecti recipientis : & quò magìs ſe ſentit Anima Deiformem & rerum intellectualium compotem,

Mat. v. 8. & v. 21, 28, &c.

Digitized by Google

eò magìs gaudet, fruitúrque ſuo ſtatu & ſuo Deo. Denique in Reſurrectione, puritas corporis ſequetur puritatem ſui incolæ, ipſius gloriam imitabitur, ipſius radiis ſplendeſcet. Denique, ut verbo dicam, habitus, diſpoſitiones & affectus animi ſunt radices boni & mali in hàc vitâ, & in futurâ beatitudinis aut miſeriæ. His propterea applicantur quàm maximè præcepta Chriſtiana, ad purgandum & renovandum ſpiritum interiorem: ut ſublatâ materiâ morbi mens fiat ſana, totúſque homo. Quicquid igitur exteriùs agamus, ſive erga Deum, ſive erga homines: in ſacris aut in vitâ communi, parùm valet, parùm proficit, niſi ab interno principio proveniat & nutriatur. Infucatè & ſincerè peragenda omnia, Numine conſcio, quod corda & cogitationes ſcrutatur.

Hæc diximus de naturâ Legis Chriſtianæ, & præceptis, ut ita dicam, cardinalibus. Plura ſunt, in diverſis ordinibus, quæ, ne nimii ſimus in hôc capite, ſummatim ſunt dicenda. In Republicâ Chriſtianâ, ut in aliis quibuſcunque, varii ſunt gradus & officia: his ſingulis proſpicit Religio Chriſtiana ſecundùm æqui rectíque rationes, ad pacem, ad pietatem, bonúmque publicum promovenda. In ſuo quiſque loco & claſſe ita ſe gerat, ut qui rerum omnium Rectori ſe rationes redditurum eſſe credit. Magiſtratûs, tam Civilis quàm Eccleſiaſtici erga populum ſibi commiſſum, populíque erga utrumque, ita conſtituuntur mutua officia. Liberorum erga parentes, & parentum viciſſim erga liberos Mariti & uxoris, Domini

Digitized by Google

& ſervi, & in cæteris, ſiqui ſunt, ordinibus. In his omnibus, non tantùm jus commune ſervat Lex Chriſtiana, ſed hoc temperat manſuetudine: ac benevolentiâ & amore erga genus humanum univerſim adjuvat & adauget.

Hactenus de inſtitutis morúmque regulis in Lege Chriſtianâ. En pulchram ideam, inquies, Legis quidem optimæ: ſed quâ ſanctione ſtabilitur hæc Lex optima, ut vim ſuam & effectum habeat? Reſpondeo: Si de Legiſlatoris authoritate quæris, de eâ dictum eſt affatim in ſuperioribus. Si de pœnis & præmiis, nec majora nec certiora conſtitui poſſunt quàm quæ denunciat Lex Chriſtiana, vitam ſcilicet æternam ex hâc parte, & ex alterâ pœnas infernales, quibus nihil gravius, nihil intolerabilius.

Atque has legis ſuæ conditiones & ſanctiones validiſſimas ſæpe repetit Chriſtus, ſæpe ſæpius Apoſtoli: Judæis, Gentibus, omnibus ſinè diſcrimine comprehenſis, ad quos Legis promulgatio pervenerit. Nempe die judicii ſolennis conſtituto & condicto, præſentibus Angelis & totâ gente humanâ, ad hanc normam cujuſque opera exigentur, & in præmiis pœníſque diſtribuendis idem erit Judex qui fuerat Legiſlator, (*Mat.* xiii. 40, 41, &c. & xvi. 27. & xxv. 31, &c: *Mar.* viii. 38. *Joh.* v. 28, 29.) Deinceps Apoſtoli hoc ſupremum Judicium altâ voce prædicârunt, in omni loco, tempore & populo: unicuique ſubeundum ſecundùm ſua opera, per hanc Legem examinanda. (*Act.* xvii.

Digitized by Google

xvii. 31. *Rom.* ii. 5, 6, &c. & xiv. 10, 11, 12. 1 *Cor.* iii. 13, 14. & 2 *Cor.* v. 10. *Gal.* vi. 7, 8. 2 *Theſſ.* i. 6, 7, 8, 9. 2 *Tim.* iv. 1, 8. *Hebr.* ix. 27, 28. & x. 27, 31. 1 *Pet.* i. 17. & 2 *Ep.* ii. 4, 9. & iii. 7. &c. *Jud.* V. 14, 15. *Rev.* vi. 14, 15, &c. & xx. 11, 12, 15. *cum aliis non paucis.*)

Denique, quod ſæpius repetendum, his promiſſis adimplendis, & infligendis pœnis parem eſſe Legiſlatorem noſtrum, ex ipſius anteactis abunde conſtat. Quæ minatus eſt Hieroſolymis & Genti Judaicæ, plenè & ſeverè completa vidimus. Atque hoc excidium, has clades typos eſſe voluit & mœſta pignora iræ ſuæ in improbos & immorigeros Evangelio in excidio mundi exercendæ. Dein quod ſpectat ad promiſſa vitæ æternæ, multis indiciis ſe demonſtravit Chriſtus vitæ & mortis Dominum. Tam ſuſcitando mortuos, quàm cùm ipſe ſurrexit victor vivúſque, & gloriâ circumdatus in cœlum aſcendit. In idem cœlum quò abiit præcurſor, eandémque ſecum habitationem ſe poſſe perinde nos adducere, ſui ſimili aut cognato veſtire corpore, & vitâ donare æternâ, ita non verbis tantùm ſed exemplo ſuo docuit. Tandem effuſo Spiritu Sancto in Apoſtolos & primos Chriſtianos, miraculis illis doniſque ſtupendis ſe præſtare potuiſſe quæcunque promiſerat, & reipsâ præſtiturum oſtendit: dato hôc ſpecimine ſuæ poteſtatis & veracitatis, & ſolutâ parte pretii veluti in ſtipulationis arrham & confirmationem.

His

Digitized by Google

His probè ſtabilitis & expenſis, nihil deeſſe video, nihil obſtare, quò minùs legem Chriſtianam, ſive materiam ipſius ſpectes, ſive authoritatem ſanctionémque, ſuis partibus abſolutam, ſequamur & amplectamur: toto corde, ſpe inconcuſsâ, & obedientiâ pro viribus univerſali: Cooperante Spiritu divinô & conatus noſtros adjuvante.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

De fide & dogmatis Chriſtianorum.

HACTENUS egimus de Præceptis Legis Chriſtianæ, ubi clara ſunt omnia, ſinè umbrâ aut nube, inſtar lucis meridianæ. Sequuntur Dogmata; in quibus tractandis ſiquid occurrat obſcuri, ardui aut ſalebroſi, eò lentiùs incedendum erit, & pedetentim, fixis firmiter veſtigiis, ne labamur. Quum primò promulgari cœpit Evangelium inter Judæos, prædicante Chriſto ipſo, vel Apoſtolis ipſius, *Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam* erat caput primum ac velut initiatio in Fidem Chriſtianam. Hoc autem à Gentibus exigere, qui de Meſſiâ parum aut nihil audiverant, haud æquum fuiſſet. His itaque Apoſtoli prædicârunt & præceperunt generatim, ut rejectis Idolis & Diis multifariis, Deum unum ſummum colerent: Jeſúmque Nazarenum, ut Prophetam ab ipſo miſſum, amplecterentur: Ipſius legibus obſecuturi, fidémque habituri promiſſis. Hæc qui profeſſi ſunt ore & ex animo, baptizabantur & recepti ſunt in cœtum Chriſtianum, ſive in Eccleſiam. Atque intrà hos terminos ſtetit aliquamdiu Fides Chriſtiana: nec à Judæis exactâ ſuæ Legis abdicatione, nec à Gentibus fide plenâ & omnibus numeris abſolutâ.

Progre-

Digitized by Google

Progrediente autem Evangelio, auctóque Fidelium numero, pleniùs & apertiùs expoſuerunt Apoſtoli tam Hebræis quàm Græcis doctrinæ Chriſtianæ capita: ut tandem ex eorum prædicatione & miniſterio *tota Dei voluntas, totúmque conſilium* innoteſcerent. Omnia ſcilicet quæ ad vitam æternam parandam credi fieríque debent. Sive id omne, quod à ſingulis præſtari vult Deus, ut ad ſalutem perveniatur, ſecundùm hanc novam Legem & diſpenſationem Evangelii. Hæc autem initia & progreſſus doctrinæ Evangelicæ paulò fuſiùs ſunt explicanda. Act. xx. 20, 21, 27. Gal. i. 8.

In hiſtoriâ Evangelicâ manifeſtum eſt, id primùm à Judæis poſtulâſſe Chriſtum, ut ipſum agnoſcerent, *promiſſum eſſe Meſſiam.* Et cùm hoc agnoviſſent & declarâſſent, recepti ſunt in ſenſum fidelium, habitíque diſcipuli & proſelyti Chriſti. Hæc erat fides *Petri* & fidei declaratio, cùm Jeſum recognovit pro Meſſiâ & Dei Filio, *Mat.* xvi. 16. Hæc erat fides & profeſſio *Marthæ*, Chriſto Lazarum reſuſcitaturo, *Joh.* xi. 27. Hæc fides *Nathanaelis* & Apoſtolorum, *Joh.* i. 45, 49. Atque hic erat ſcopus, propoſitum, & ſignificatio miraculorum Chriſti, ut eum nempe teſtarentur eſſe Meſſiam: ut illius rei fidem facerent omnibus, & ex illâ fide vitam haberent æternam quique fideles. Ita nos docet explicitè S. *Johannes*, c. xx. 31. Denique, Chriſtus ipſe ab hoc capite pendere dixit vitam æternam, ut *unum verum Deum cognoſcant, homines, & quem* Act ii. 22.

 miſit

miſit Jeſum Meſſiam, *Joh.* xvii. 3. Quibus verbis tam Gentes quàm Judæos reſpexiſſe videtur. Gentes, ut unum verum Deum agnoſcerent, abjecto Polytheiſmo: Judæos, ut Jeſum Nazarenum pro vero Meſſiâ reciperent, omni ſpe Iſraelis omnibúſque prophetiis expletis quæ ad Meſſiam euſque ſpectabant. Atque hoc fundamentum eſſe Legis Chriſtianæ, in primâ ſuâ Epiſtolâ ad
1 Cor. iii. 11. Corinthios, poſtea teſtatus eſt & annunciavit *Paulus*, *Fundamentum aliud nemo poteſt ſtatuere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Meſſias.*

His præmiſſis notandum, non patuiſſe, quantum conſtat, Divinitatem Chriſti, ne quidem Apoſtolis, ante ſuam reſurrectionem, (*Mar.* xvi. 11, 13, 14. *Luc.* xxiv. 21.) aut Chriſto jam reſuſcitato & in cœlum evecto, ante effuſionem Spiritûs Sancti: Qui de eo teſtimonium adhibiturus erat, & plura dicturus quàm de ſeipſo dixerat Chriſtus, *Joh.* xiv. 26. & xv. 26. Quinimo ea dicturus erat, quorum, præ ſuâ imbecillitate, tempore Chriſti non erant capaces Apoſtoli, *Joh.* xvi. 12, 13. Non memini Chriſtum apertè dixiſſe in Evangelio, ſe eſſe Deum: ſed eo nomine uſus eſt *Thomas* Apoſtolus audiente Chriſto, nec reprehenſus, *Joh.* xx. 28. Atque eo modo intellexiſſe videntur Judæi verba Chriſti, *Joh.* v. 18. & x. 30. *& ſeq.* Atque ipſe Chriſtus novam formam
Luc. xxii. 70, 72. Baptiſmi inſtituit. *In nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti*, *Mat.* xxviii. 19. Juſſitque ut *omnes honorent Filium, prout honorant Patrem*, *Joh.* v. 23. Dixitque *ipſius eſſe omnia*

nia quæ habet Pater, c. xvi. 15. Utique parum modeſtè (ſit verbo venia) de ſeipſo locutus eſt Chriſtus, aut alios ita loquentes audivit, ſi nihil interea præter merum Hominem ſe eſſe noverit: Aliorúmque errorem permiſerit incorrectum. Præterea cùm effecit miracula Chriſtus, non locutus eſt ut Apoſtoli, nomine alterius: ſed Imperatoriè & inſtar Dei. Dixit olim Deus, *Fiat Lux*, & facta eſt: Dixit Chriſtus, *Volo*, *Purgator*, & purgatus eſt Leproſus, *Mat.* viii. 3. Dixit Paralytico, *Surge, attolle tuum lectum, & abi domum:* abiitque ſanus, *Mat.* ix. 6. Dixit mari, (ſæviente tempeſtate) *Sile*, *obmuteſce*. Et quievit ventus & facta eſt tranquillitas magna. *Non vox hominem ſonat*, eſt Deus ipſe. Id quod clariùs opinor innoteſceret ex ipſis Chriſti verbis, modò nobis tacitum non fuiſſet illud Colloquium, quod, terras jam relicturus, habuit cum Apoſtolis Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem: cùm à *Moſe* exorſus, fertur expoſuiſſe *quæcunque Prophetæ de eo dixerant*, *Luc.* xxiv. 27. Utcunque hanc expoſitionem, aliáque omnia à Chriſto adumbrata aut expreſſa circa Meſſiam, ut in mentem revocaret Apoſtolis, novâ luce, in mandatis habuit Spiritus Sanctus, Chriſti Advocatus. Nova etiam ſuperaddere, quæcunque viſa fuerint neceſſaria ad explendam & conſummandam doctrinam Chriſtianam. Propterea quæ ſequuntur in Apoſtolorum ſcriptis, Quæ prædicabant Gentibus & Judæis, Quam fidem in converſis aut convertendis poſtulabant, porrò diſpiciendum.

Mat. iv. 39.

Digitized by Google

In Actis Apoſtolorum habemus hiſtotiam
naſcentis Eccleſiæ, prima ipſius lineamenta,
& veluti ſtamina fidei Chriſtianæ. Hæc de-
clarantes Apoſtoli, communi & præſato ar-
ticulo de *Jeſu Meſſiâ*, adjunxere alterum de
ipſius Reſurrectione, & remiſſione peccato-
rum credentibus & pœnitentibus. Tertium
denique de futuro Judicio, per eundem
Chriſtum inſtituendo. Nec plura mihi oc-
currunt in Actis Apoſtolorum. Sed facile
eſt percurrere Apoſtolorum conciones aut
orationes ad Judæos Genteſve habitas, cùm
ad fidem Chriſtianam convertendi eſſent.
Prima eſt S. *Petri*, capite ſecundo, ubi (præ-
ter Prophetias, ſigna & miracula. V. 22.)
Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti,
Sanctique Spiritùs effuſionem, ad atteſtan-
dam veritatem religionis Chriſtianæ addu-
cit, V. 32, 33, 36. Hiſque perculſus &
compunctus populus dixerunt ad Petrum &
v. 37. reliquos, *Quid faciemus viri fratres?* nempe
ad Deum nobis reconciliandum, & ad adi-
piſcendam ſalutem. Quibus reſpondens dix-
v. 38. it Petrus, *Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſ-
que veſtrûm in nomine Jeſu Meſſiæ, in remiſ-
ſionem peccatorum: & accipietis donum Spiritûs*
Cap. iii. *Sancti.* Dein ſecundò *Petrus* perorabat ad
populum, in porticu Solomonis, cùm ſanáſ-
ſet claudum ab utero matris ſuæ: Eúmque
v. 6. ſanáſſet his verbis, *In nomine Jeſu Nazaræi
ſurge & ambula.* Hunc hominem notum
cùm in Templo perambulantem & ſalientem
conſpexiſſet populus, *Impleti ſunt pavore &
ſtupore ſuper eo quod acciderat.* Eáque arrep-
tâ occaſione *Petrus* ſic afflatus eſt populum:
Viri

Digitized by Google

Viri Iſraelitæ quid miramini de hâc re? aut v. 12, 13.
quid intentos oculos in nos habetis, quaſi propriâ poteſtate aut pietate effecerimus ut hic ambulet. Deus ille Abrahami, Iſaaci, & Jacobi: Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos tradidiſtis & abnegâſtis, &c. Dein pergit (V. 22.) *Moſes etenim ad Patres dixit, Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter ex fratribus veſtris, ſicut me: audietis eum in omnibus quæ locutus fuerit vobis; Futurum eſt autem ut quiſquis non auſcultârit Prophetam illum diſperdatur è populo.* Chriſtum Prophetam promiſſum ab omni ævo celebrat, nullâ adhuc factâ mentione ipſius Deitatis.

Nec hîc ſubſtitit commotio: Re enim per- Cap. iv. 7.
latâ ad ſacerdotes & primores populi, ſic illi interrogabant Apoſtolos, *Quâ poteſtate, aut quo nomine vos hoc feciſtis?* Reſpondit Petrus, *Notum ſit vobis omnibus, & toti popu-*
lo Iſraëlitico, per nomen Jeſu Chriſti Nazaræi, v. 10.
quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit ex mortuis: per hoc, inquam, *iſtum aſtare ſanum in veſtro conſpectu. Nec eſt in alio quoquam ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat eos ſervari.* Hæc omnia ſpectant ad Jeſum Meſſiam; pariter *Stephanus* protomar-
tyr prædicabat Jeſum eſſe Prophetam illum Cap. vii. 37.
promiſſum: Paulúſque recens converſus eun-
dem Jeſum eſſe Filium Dei atque ipſum ix. 20, 22.
Meſſiam, in Synagogis Damaſci palàm docuit.

Hæc

Digitized by Google

Cap. xiii. Hæc hactenus de Judæis: indè ad Gentiles progreſſi ſunt *Paulus* & *Barnabas*: Paulúſque Antiochæ (in Piſidiâ) tam Gentibus quàm Judæis diſperſis Evangelium enunciat:
v. 23. & 33, 37, 38. Jeſum ſcilicet Servatorem reſurrexiſſe à mortuis, credentéſque in ipſius nomen remiſſionem peccatorum habituros. Poſtea, diſſentientibus *Paulo* & *Barnabâ*, *Paulus* ſibi in ſo-
Cap. xvi. cium allegit Silam: Et cùm eſſent *Philippis* ſeditionis falsò accuſati conjiciuntur in carcerem. In intimum carcerem detruſit eos Commentarienſis, pedéſque aſtrinxit numellà. Mediâ autem nocte, concuſſa ſunt fundamenta carceris terræ motu, reſeratis foribus, & laxatis vinculis Pauli & Silæ. His expergefactus & perculſus cuſtos ergaſtuli, procidit ad eorum pedes, clamavítque, *Do-*
v. 30, 31. *mini, quid me oportet facere, ut ſerver?* Dixerunt illi, *Crede in dominum Jeſum Chriſtum, & ſervaberis Tu & domus tua.* Et in hanc fidem ſunt baptizati.

Cap. xvii. 3. Poſthæc Theſſalonicæ, *Paulus* in Synagogis prædicavit itidem Jeſum eſſe Meſſiam: Eúmque & pati & à mortuis reſurgere oportuiſſe. Athenis pariter à Philoſophis dic-
v. 17, 18. tus eſt *peregrinorum Deorum annunciator, quoniam Jeſum & Reſurrectionem ipſis annunciabat.* Quum verò in medio conſiſtens Areopago concionem habuit ad viros Athenienſes, hìc quidem, ut antea *Lyſtris* (*c.* xiv, xv.) ſermones inſtituit præcipuè contra Idololatriam, ut unum ſummum Deum colerent, cœli & terræ Dominum, nervosè hortatus. Perorans verò, Deum ait *ſtatu-*

iſſe

Digitized by Google

iſſe diem quo juſtè judicaturus eſt terrarum orbem, per illum virum quem definivit: fide ejus rei palàm factâ omnibus, illo ex mortuis ſuſcitato. Jeſum, ut vides, ſubintelligit. v. 31.

Ab Athenis ad Corinthum profectus eſt Paulus, ubi etiam in Synagogis Jeſum eſſe Chriſtum, vel Meſſiam, fervidè aſſeruit. Obnitentibus autem & blaſphemantibus Judæis, eorum ille indignatus obſtinationem, excuſſo pulvere è pedibus & veſtimentis (ut antea Antiochiæ, *c.* xiii. 31.) dixit, *Sanguis veſter eſto ſuper caput veſtrum, mundus ego, ab hôc tempore ad Gentes proficiſcar.* Sui in hàc fide propagandâ ſtudii & diligentiæ, presbyteros Epheſi ad Miletum accerſitos, teſtes appellat Apoſtolus: ſe nempe annunciaſſe *Judæis ſimul & Gentibus converſionem ad Deum & fidem quæ eſt in Dominum noſtrum Jeſum Meſſiam.* Dein eandem fidem in Chriſtum, & judicium futurum profeſſus coram *Felice*, miſſus eſt ad Regem Agrippam: Quo præſente & præſidente, cùm ſuæ vitæ & authoritatis rationes expoſuiſſet, ſubjungit, *Auxilium à Deo nactus perſtiti in hunc uſque diem, teſtificans iſta tam parvis quàm magnis, nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt. Nempe Chriſtum fuiſſe paſſurum, ac primum ex reſurrectione mortuorum lucem annunciaturum huic populo ac gentibus.* Cap. xviii. 5. v. 7. Cap. xx. 17, 21. Cap. xxiv. 24. Cap. xxvi. 22, 23.

Denique Romæ, ubi poſtea ſupremum diem obiit, in ſolenni conventu Judæorum expoſuit Moſem & Prophetas in teſtimonium Jeſu, & per biennium ibidem docuit ea Act. xxviii. 23, 30, 31.

quæ

Digitized by Google

quæ ſpectant *ad Regnum Dei, & ad Dominum Jeſum Meſſiam*: ſuóque hæc tandem obſignavit ſanguine.

Hactenus capita fidei Chriſtianæ quæ occurrunt in Actis Apoſtolorum, breviter notavimus. Sunt quidem illa primaria, & quæ pertingunt à principio ad finem œconomiæ Chriſtianæ. Vides, præter unum ſummum Deum, prædicaſſe Apoſtolos imprimis *Jeſum Nazaræum eſſe Meſſiam*, Spiritúmque Sanctum à Deo miſſum. Eundem Jeſum reſurrexiſſe à mortuis & in cœlum aſcendiſſe, repetitis teſtimoniis confirmabant: Denique remiſſionem peccatorum, Reſurrectionem noſtram, judicium futurum, vitámque æternam annunciabant, in eodem ſacro nomine conſtituenda, donanda, peragunda. Hæc capita ſi conferamus cum ſymbolo Apoſtolico, ſic dicto, omnes ipſius articulos, primævos & indubios, comprendere mihi videntur. Quod enim ibidem interſeritur de Deſcenſu Chriſti ad inferos, de Eccleſiâ Catholicâ & Communione Sanctorum, ſequioris eſt ævi & explicationis magis dubiæ: reliqua autem hìc comparent. Proindéque ad dicta uſque tempora, quibus finiuntur Acta Apoſtolorum, non conſtat (quæcunque fuerit antiquitas aut authoritas illius Symboli) ulla dogmata, aut fidei Chriſtianæ capita publicè & apertè Judæis aut Gentibus propoſita fuiſſe, præter illa præmemorata. Dico *apertè propoſita* ab Apoſtolis: Adorabant autem interea Jeſum Chriſtum quotidiano cultu, & in ipſius nomine baptizabant & mira-

Digitized by Google

miracula patrabant. Denique *Stephanus* moribundus, Jeſum Chriſtum invocans Animam ſuam in ipſius manus tradidit, *Act.* vii. 59. *

Quod verò parciùs meminerint aut minùs explicitè Deitatis Chriſti in primis ſuis ad populum concionibus Apoſtoli, id, ſi conjecturæ locus eſſe poſſit, conſultum factúmque exiſtimarem, nequa ſpecies aut ſuſpicio Polytheiſmi Judæos offenderet. Probabile eſt vulgus Judæorum haud credidiſ-

* Quid Eccleſiæ Matrices & Apoſtolicæ docuere paucis enumerat Tertullianus *de Præſcrip.* c. 36. *Unum Deum, &c.* Dein *de Veland. Virg.* c. 1, regulam fidei explicitiùs enarrat. *Regula quidem fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unum Deum Omnipotentem, mundi Conditorem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Mariâ, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertio die reſuſcitatum à mortuis, receptum in cœlis, ſedentem nunc ad dextram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per carnis etiam reſurrectionem. Hâc lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque ad finem gratiâ Dei.* Eoſdem fidei articulos ante Tertullianum notàrat Irenæus, l. 1. c. 2. *Eccleſia enim per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem Omnipotentem, &c.* Uti hic non cernimus articulos illos ſymboli dubios, ita videmus paucis fuiſſe contentos & fide ſimplici primos Chriſtianos: donec ad occurrendum hæreſibus ſubortis aut ſuborituris adhibitæ fuerint, veluti remedia, explicationes novœ & pleniores. Tandem verò invaleſcente ſuperſtitione & tyrannide Pontificiâ, novi articuli fidei, qui non reperiuntur in ſcriptis ſacris aut primorum Patrum, procuſi ſunt multiſque & pœnis diris ſanciti. Vide S. Hilar. lib. de Synodis, & Dr Taylor Diſſuaſ. par. 2. p. 2. in fol. 441.

Digitized by Google

ſe Meſſiam fore Deum: ideóque cùm, ſe eſſe Deum, Chriſtum affirmâſſe crediderint, lapidibus obruendum cenſebant tanquam blaſphemum, *Joh.* x. 30, 31, 33. Præterea idem præjudicium, illámque inſuper reticentiam veriſimile eſt occaſionem dediſſe Ebionitis, Nazarenis, aliiſque ſectariis primævis Judaizantibus, negandi Deitatem Chriſti, licèt eum agnoverint pro Meſſià. Hæc de Judæis: ad Gentiles quod ſpectat, qui convertendi erant à Polytheiſmo, haud opportunum fuiſſet, myſterium de Deo Trino, aut de tribus Perſonis quarum unaquæque eſt Deus, iis proponere primo ingreſſu, ne in novum genus Polytheiſmi incidiſſe ſibi viderentur. Expectandum erat donec tempus illud advenerit, cùm, præparatis firmatiſque animis, omnia dicenda eſſent omnibus, palàm & exertè. Id quod poſtea factum legimus in Epiſtolis Apoſtolicis & in Evangelio S. *Johannis.* * Sed hæc obiter, pergamus in propoſito.

Confer Joh. v. 18. & viii. 58, 59.

Terminantur illa Acta Apoſtolorum in adventu Pauli ad urbem Romam. Eóque

* Chryſoſt. in Pſal. cix. Εἰ δὲ ὁ Μωϋσῆς λέγει, κύριος ὁ Θεός σου κύριος εἷς ἐστιν, ἡ ὑμετέρα ἀσθένεια γέγονεν αἰτία τούτου· καὶ τί θαυμάζεις εἰ ἐπὶ τῶν δογμάτων τοῦτο γέγονεν, ὅπου γε καὶ ἐπὶ τῶν πραγμάτων ἀπὸ τῶν τελειοτέρων ἐπὶ τὰ ἐλάττονα τὸν λόγον ἦγεν ὁ Θεός, τῇ ἡμετέρᾳ συγκαταβαίνων; *Si autem Moſes dixit, Dominus Deus tuus Dominus unus eſt, imbecillitas veſtra fuit in causâ. Et quid mirum ſi hoc in dogmatibus factum eſt, quando etiam in rebus à perfectioribus ad minùs perfecta deduxit Deus orationem, ſe demittens ad noſtram imbecillitatem?* Vid. etiam Euſebium de Eccleſ. Theol. l. 2. c. 20. p. 134.

eum

eum adveniſſe creditur paulò ante annum ſexageſimum à nato Chriſto. Nondum promulgatum erat Evangelium S. *Johannis*, aut cætera ipſius ſcripta, nec ex Paulinis Epiſtolæ plurimæ. Manet itaque, ut ſiqua ſint præterea dogmata in ſcriptis illis, aut aliis quibuſcunque Apoſtolicis expoſita, diligenter inquiramus. S. *Johannes* eo animo, magnâ ex parte, ſcripſiſſe videtur ſuum Evangelium ut Deitatem Chriſti teſtaretur. Joh. i. 1,
Ab ipſo exordio præexiſtentiam τȣ̃ Λόγȣ, 2, 3.
eúmque eſſe Deum, & ab eo creata eſſe omnia declarat. De perſonâ Chriſti loqui Evangeliſtam manifeſtum eſt, cùm eundem Λόγον fuiſſe incarnatum, nobíſque conſpicuum infrà memoret. Qui verò hæc detorquent ad Epocham Evangelii & creationem metaphoricam & moralem, ſubterfugium quærunt quod nullarum eſt virium aut veriſimilitudinis apud viros liberalis ingenii. (Quum nullius ſit aculei, nullius ſaporis, & quaſi identica propoſitio, *Chriſtum extitiſſe in principio religionis Chriſtianæ*.) Præcipuè cùm his cohæreant & concinant quæ dicta ſunt de Chriſto ab eodem Apoſtolo in ſuis Epiſtolis, 1 *Joh.* i. 1, 2, 3. & v. 7. & 20. Et cùm eundem ut Deum, ut α & ω, (confer *Iſa.* xli. 4. & xliv, 6. & xlviii. 12) invocandum & adorandum in ſuâ Apocalypſi ſæpius exhibeat, *cap.* i. 8. cum *cap.* xxi. 3, 6, 7. *cap.* iv. & v, &c. Quod ab aliis Scripturæ locis confirmatur.

v. 14. Apoc. xix. 13.

In Paulinis Epiſtolis non pauca occurrunt, nec unius ordinis argumenta & indices, quibus Chriſti Deitas nobis innoteſcere poſſit.

Q 2 Dictum

Digitized by Google

Dictum eſt à S. *Johanne* omnia eſſe facta aut creata *ἀπὸ τȣ̃ Λόγȣ*, Eundémque poſtea incarnatum. Creationem rerum omnium, non minùs quàm *Johannes*, Chriſto attribuit Paulus in ſuis Epiſtolis: ait autem ad Hebræos (*cap.* iii. 4.) *Qui fecit omnia eſt Deus:* unde ſequitur neceſſariò eundem Chriſtum à S. *Paulo* habitum pro Deo. Dixi hanc Creationem univerſalem adſcriptam eſſe Chriſto, & ſolennibus verbis conſecratam ab eodem Apoſtolo, *Heb.* i. 3, 10. & pleniſſimè ad Coloſſenſes Epiſtolà, *cap.* i. 16, 17. his dictis, *Per Eum*, de Chriſto loquitur, *condita ſunt omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris: viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominia, ſive imperia, ſive poteſtates: Omnia*, inquam, *per eum & propter eum condita ſunt. Eſtque ipſe ante omnia, & omnia per eum conſiſtunt.* Hîc mundum cœleſtem & terreſtrem, corporeum & intellectualem à Chriſto conditum aſſerit Apoſtolus: nec pleniori enumeratione res efferri poterat. Nullus hìc locus creationi metaphoricæ aut renovationi per Evangelium, cùm rerum ordines homine ſuperiores, Angelóſque omnes qualeſcunque, qui ſuâ uſque perſtitiſſent innocentià & obedien-
Iſa. xlii. 5. tià, comprehendat hæc rerum ſeries. Præ-
& xliv. 24. terea, Dei veri ſummíque character ſingu-
Jer. x. 11, laris habetur in ſacris literis, tam Pro-
12. Act. vii. phetarum quàm Apoſtolorum, quòd cœlum
50. terrámque condiderit, atque omnia quæ in
&. xvii. iis ſunt: eàque ratione à Diis fictitiis aut
24. minoribus diſtinguitur. Nec hìc aliter exponi poteſt idem character niſi tortè & violenter; Quin & probabile eſt, multiplices

rerum

rerum claſſes hîc percenſeri, ut objectiunculis aut cavillationibus eorum hæreticorum occurreretur, qui alios mundi opifices ſibi fingebant. Denique, Huic ſermoni S. *Pauli* aſtipulatur *Johannes*, (ut ſe ſolent in hôc argumento alternatim confirmare) eúmque corroborat, cùm explicitè titulum παντοκράτορος attribuit Chriſto, *Apoc.* i. 8. Illîc enim, ex æquâ verborum interpretatione, vox παντοκράτωρ ad Chriſtum referenda eſt. Quoniam prima pars verſiculi ſpectat ad Chriſtum, ut ex aliis locis ejuſdem libri manifeſtò conſtat, (infrà V. 11. & 18. *cap.* ii. 8. & xxii. 13.) proximè etiam præcedentia ſpectabant ad Chriſtum. Denique ipſa vox Κύριος plerumque deſignat Chriſtum in novo fœdere. * Et ſub eodem titulo ei adſcribitur poteſtas, & mortuos reſuſcitandi, *& ſubjiciendi ei omnia*, *Phil.* iii. 20. *&* 1 *Cor.* viii. 6. *εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστός, δι' οὗ τὰ πάντα, Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia.*

Sed præter poteſtatem Chriſti, quà ipſius Divinitas eluceſcit, de perſonâ Chriſti ea

* Eâ voce κύριος utuntur Septuaginta (quorumdictiones plerumque ſequitur ſtylus novi fœderis) loco vocis Hebraicæ *Jehova*; & quidem vox illa Jehovæ datur Meſſiæ ſemel atque iterum apud Prophetas, & de eodem exponitur ab Evangeliſtis, *Iſa.* viii. 14. *Jer.* xxiii. 6. *Zach.* x. 14. *confer Iſa.* xl. 3. *cum Mat.* iii. 3. & *Malac.* i. 3. *cum Mat.* xi. 10. & *Luc.* i. 76. Præterea, qui invocandum & adorandum negant eſſe Chriſtum, quàm plurimis, præter jam dicta, locis & exemplis ſacræ Scripturæ refutantur, *Act.* vii. 50. & ix. 14, 21. *Rom.* x. 12, 13. 1 *Cor.* i. 2. *Phil.* ii. 9, 10, 11. *Heb.* i. 6.

præ-

Digitized by Google

prædicat idem Apoſtolus *Paulus*, quæ ſubſtantiis creatis non competunt. Dicitur e-
Heb. i. 3. nim Chriſtus ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως τȣ͂ Θεȣ͂, *Irradiatio Gloriæ, & character vel forma expreſſa ſubſtantiæ divinæ*. Neque natura humana, neque Angelica, quomodocunque exaltata, mihi ferre poſſe videtur hos titulos, verè divinos: nec acquiſitos illos, aut extrinſecus collatos, ſed nativos & emanatione neceſſariâ congenitos, ut Lux à Sole. Dicitur etiam extitiſſe Chriſtus in formâ Dei ante ſuam incarnationem aut exinanitionem, *Phil.* ii. 6. Ubi nonnullæ licèt occurrant dictiones & phraſes interpretationis minùs certæ, id tamen indubiò ſignificant, Chriſtum extitiſſe, idque in formâ divinâ, ante ſuum deſcenſum in corpus mortale. Denique, idem Apoſtolus in ſecundo capite ad Coloſſenſes, V. 9. ait *in Chriſto habitâſſe omnem plenitudinem Deitatis* CORPORALITER. Non tantùm in umbris, figuris, aut repræſentationibus: Nec aſſumptitiè & tranſitoriè, ſed *vitaliter*, ut Anima habitat in corpore.

Nec parvi denique faciendum eſt, quod à temporibus uſque Apoſtolicis, quantum conſtat, hæc doctrina de Chriſti Deitate obtinuerit in Eccleſiâ Chriſtianâ: habitáque fuerit ſemper pro errore aut hæreſi ſententia contraria. Non utique infallibilitatem Eccleſiæ attribuo, nec Conciliis generalibus, ſed in diſquirendis articulis fidei Chriſtianæ juvat teſtes temporum conſulere, quid receptum primitus jugitérque, quid inauditum aut improbatum. Quod enim ſub initiis religionis

Digitized by Google

ligionis Chriſtianæ obtinuit, ejuſdémque Patres & Antiſtites docuere, tam in Conciliis collectim, quàm ſeorſim in ſuis ſcriptis, (non adverſante ſacro canone) id apud æquos judices ſuum pondus in controverſiis dirimendis ſemper habiturum eſt.

Sed ut ad fontes redeamus. Hæc cùm ita ſint, ſecundùm id luminis quo nos dignatus eſt Deus in œconomiâ Evangelii, *Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam, eundémque Deum*, credere & profiteri tenemur. Sin erramus in hàc fide, adeò non eſt error voluntarius, ut ſit inevitabilis. Sequimur enim, quoad poſſumus, duces nobis à Deo datos, S. *Johannem* & Apoſtolum *Paulum.* Deus nos juſſit de cœlo, ut Chriſtum audiremus: Chriſtus itidem, ut Apoſtolos, *Mat.* x. 40. & xxviii. 20. *Johannes* erat dilectus Chriſti diſcipulus, *Paulus* à Chriſto, jam in cœlum evecto vocationem ſuam, Apoſtolatum & authoritatem divinam accepit, eadémque repetitis miraculis confirmavit. His nos Authoribus ſacris aſſentimur & adhæreſcimus, eorum mentem ſecundùm vim nativam verborum uſúmque receptum interpretati. Neque alio ſtylo ſcripta, aut alio modo intelligenda eſſe hæc oracula ſacra, nos monuit Chriſtus aut authores præfati. Denique, quod ad Lumen naturæ pertinet notandum, in iis quæ ſolâ revelatione nobis innoteſcunt, qualia ſunt illa de quibus hìc diſſeritur, doctoris authoritatem ſequamur oportet : Nec Rationem noſtram in materiâ infinitâ, qualis eſt Natura Divina, judicem eſſe idoneum, & per omnia com-

Joh. xx. 21.

Digitized by Google

competentem, æquum eſt æſtimemus. Præcipuè cùm de arcanis illius naturæ, *modis diſtinctionis & unitatis*, queſtiones inſtituuntur: quas reverà nec comprehendere, nec definire poſſumus viribus noſtris. In his igitur tractandis & examinandis, ſummâ nos uti decet modeſtiâ & moderatione: tam propter imbecillitatem noſtram, quàm materiæ contemplandæ ſupereminentiam.

Hæc paucis diſſeruimus de Chriſti Deitate ſecundùm literas ſacras. Ipſius etiam incarnationem, ejuſdem Λόγȣ, Filii Dei unigeniti, declarant & enunciant apertiſſimè eædem Literæ. Id verbis explicitis dicitur à S. *Johanne* principio ſui Evangelii, *cap.* i. 14. Idémque ab eodem cæteríſque Apoſtolis iterum iterúmque repetitur, 1 *Joh.* iv. 2, 3. & 2 *Epiſt*. V. 7. 1 *Tim*. iii. 16. *Heb.* ii. 9. &c. dein *Rom*. viii. 3. & ix. 5. *Gal.* iv. 4. *Col*. i. 21, 22. aliiſque in locis quamplurimis, infirmitates & affectus naturæ noſtræ ſuſcepiſſe Chriſtum, dictis factíſve patet. Nec quicquam obſtare videtur, ſi rationem ipſam conſulas, quò minùs uniri poſſit natura divina animæ humanæ, eáque mediante, carni noſtræ. Nihil, inquam, obſtat ex parte rationis, quandoquidem eidem carni uniri poſſe ſubſtantiam immaterialem in nobiſmetipſis compertiſſimum habeamus. Qui verò hanc unionem ſacram eouſque protendunt, ut realem per omnia *Communicationem idiomatum*, ita enim loqui ſolent, inter naturam divinam & humanam aſſumptam indè eliciant, non tantùm doctrinam incarnationis in ſe ſimplicem, multifariis ſubtilitatibus

bus & inutilibus onerant & involvunt, ſed etiam de Deo & naturâ divinâ dictu gravia & periculoſa efferunt. Neque quid ſit unio ſubſtantiæ corporeæ & incorporeæ, aut in quo conſiſtat, ſatis intelligunt aut ſatis explicant. Siquæ verò ſint in ſacris ſcriptis dictiones circa hoc argumentum fortiores aut duriuſculæ, non torquendæ ſunt, ſed emolliendæ ſanâ interpretatione. Nota eſt interpretandi regula, quæ dicta ſunt ἀνθρωποπαθῶς, intelligenda ſunt θεοπρεπῶς: & quæ prolata ſunt τροπικῶς exponenda ſunt λογικῶς: ne committamus temerarii ut inter ſe pugnent rerum naturæ, aut alia aliis repugnent divini verbi oracula: Denique, multæ ſunt in hôc capite Incarnationis Doctorum Scholaſticorum argutiæ & digladiationes, quas libens prætereo, quùm minimè ſint ad fidem Chriſtianam neceſſariæ.

Hæc de Chriſti Deitate & τοῦ Λόγου Incarnatione ſecundùm oracula noſtra. In iiſdem cum Chriſto conjungitur Spiritus Sanctus, nobiſque per modum Perſonæ ſingularis & divinæ repræſentatur, *Mat.* iii. 16, 17. & xxviii. 19. & *Joh.* xiv. 16. & xv. 26. 1 *Cor.* xii. 4, 5, 6. 2 *Cor.* xiii. 14. 1 *Pet.* i. 2. 1 *Joh.* v. 7. Præterea ei perſonæ ſic deſignatæ & diſtinctæ, attribuuntur perfectiones Deo propriæ. Spiritus Sanctus per ſuam omnipræſentiam habitat in omnibus fidelibus ubicunque ſparſis, 1 *Cor.* iii. 16. & vi. 19. *Rom.* viii. 26. 1 *Pet.* iv. 14. Eodémque Spiritu regeneramur, ſanctificamur, illuminamur, *Joh.* iii. 5. *Tit.* iii. 5, 6. *Joh.* xvi. 13. Scrutatur ille & intelli-

Digitized by Google

git omnia, tam corda hominum quàm profunda Dei, *Act.* v. 3, 4. 1 *Cor.* ii. 10, 11. Denique Prophetas olim, perinde ac Apoſtolos, idem numen afflavit & inſpiravit, 2 *Pet.* i. 21. *Heb.* 1. Celebratur denique cum Patre & Filio tam in formulà Baptiſmi à Chriſto præſcriptà, quàm in benedictionibus & doxologiis Apoſtolicis. Quum itaque nobis exhibeatur Spiritus Sanctus in ſacris literis ſub habitu & charactere, non qualitatis aut virtutis, ſed *Perſonæ* & rei ſubſiſtentis: Eique, diſtinctè à Patre & Filio, actiones perſonales attribuantur: Denique, iſtiuſmodi ſint illæ actiones, virtutes, & effecta, ut vim omnem creatam ſuperent & ſupereminеant: His inducti argumentis, *Spiritum Sanctum* ſub hàc ideà nobis exhibitum, unà cum Patre & Filio, colendum & glorificandum cenſemus.

Tandem ut hoc caput de primariis doctrinæ Chriſtianæ dogmatis expediamus, notare licet, Apoſtolos, quibus commiſſæ erant claves regni cœlorum atque novæ hujuſce Revelationis expoſitio, quædam documenta citiùs, quædam ſeriùs aperuiſſe: idque magis minúſque plenè & apertè pro ratione temporum, rerum & perſonarum. Quemadmodum Chriſtus dixit Apoſtolis, *Adhuc multa habeo vobis dicenda, quæ nunc ferre non poteſtis.* Pariter Judæis & Gentibus dicere potuiſſent Apoſtoli, non omnia ſimul & ſemel vobis enarramus: ſed prout eſtis Infantes aut adulti, lacte aut cibo ſolido, nutriendi, ita plus aut minus pro uſu captúque cujuſque ſuppeditamus, tam in inſtitutis quàm doctrinà.

Joh. xvi. 12.

Iſ. xxviii. 9.

1 Cor. iii. 2.

nâ. Senſim abolita eſt Lex Judaica, ut & Heb.v.12.
ſuperſtitio Gentilis, & ſenſim obtinuit Lex Chriſtiana; non confecta & conflata eſt unico ictu, aut ſuperſtite primo Legiſlatore, ut Lex *Moſis*: ſed ab initio ſimplicior & paucioribus contenta, inſtar naſcentis floris ſeſe paulatim evolvit. Quod ſtatuerunt Apoſtoli in conventu Hieroſolymitano de praxi Chriſtianorum illius temporis, de eorundem fide aliquatenus locum habuit: *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui Sancto & nobis, nullum aliud vobis imponere onus præter hac neceſſaria.* Id, inquam, in nonnullis doctrinæ myſteriis locum habuit, utpote quæ dicenda eſſent opportuniùs progrediente tempore, quum radices egiſſent altiùs prima ſemina, primaria capita Religionis divinæ. Tempora & mores hominum in conſiliis ſemper oportet eos habere, qui magnas moliuntur mutationes in ſalutem generis humani. Tandem verò cùm obſignatum fuit ab Apoſtolis Evangelium, & Scripturæ Sacræ Canon, nihil ultrà addendum, nihil imminuendum in fide Chriſtianâ.

Digitized by Google

Cap. VIII.

De Dogmatis ſecundariis in Doctrina Chriſtiana, a variis varie expoſitis.

HACTENUS Fidei Chriſtianæ dogmata, prima & originalia, paucis ante oculos poſuimus. At ſi doctrinæ Chriſtianæ ea ſit ſimplicitas quæ nobis hic exhibetur, quorſum, inquies, tot libri, tot volumina ad eandem doctrinam explicandam accumulantur? Præterea, Tot lites, & diſcordiæ, & ſectæ multifariæ, quæ orbem Chriſtianum dilacerant, & in partes oppoſitas, ſibi invicem inimiciſſimas diſtrahunt: Unde hæc oriuntur diſſidia circa doctrinam ſimplicem, & imprimis pacificam? Quæſivit
Jam. iv. 1. olim Apoſtolus à Chriſtianis, *unde bella & lites inter vos?* Et reſpondet ſibiipſi aliâ quæſtione quæ tantundem valet ac affirmatio, *nonne a cupiditatibus veſtris?* Ecce originem mali: radicem unde pullulant tot amarulenti fœtus. Diverſa quidem ſunt hominum ingenia & conceptus, & exinde oriuntur nonnullæ diſſenſiones: ſed leviora hæc ſunt & innocua, niſi ardor accedat. Ab affectibus pravis, lucri, honorum, & potentiæ cupidine proveniunt & aluntur odia inteſtina & implacabiles iracundiæ. Obſurdeſcunt aures ad lenem rationis vocem, cum hôc luto obthurantur, & rerum mundanarum obtunduntur ſtrepitu. Præterea, fidem Chriſtianam, in ſe ſimplicem & paucis con-

Digitized by Google

contentam, dogmatis ſecundariis nimiùm onerant Theologi, ut dicuntur, *Polemici* aut bellicoſi: & ex his maximè, dum quiſque ſuas mordicus tenet & tuetur opiniones, quin & in cenſum articulorum fidei inſcribere ſatagit, turba controverſiarum enaſcitur.

Dogmata ſecundaria appello quæ in nullo antiquo ſymbolo aut ſummâ fidei reperiuntur: quæ tamen eouſque tenemur amplecti quouſque probari poſſunt à ſacris literis aut rectâ ratione. Et in his quidem ſecundariis non tam de rebus ipſis, quàm earum modis & explicatiunculis diſceptari ſolet. Hujuſmodi ſunt multa quæ ſpectant ad peccatum originale, ad juſtificationem, ſatisfactionem, aliáque infrà memoranda: in quibus, ut nonnulla ſunt indubia, ita alia (ſalvâ fide & amicitiâ) in utramque partem agitari poſſunt.

Ut à capite ordiamur, atque eo, quo licet, ordine tractemus cætera, de Peccato Originali primò dicendum. Certum videtur, Animas humanas eſſe degeneres, ídq; ab origine mundi noſtri: & eâdem ratione iræ divinæ obnoxias. Sed qui præter labem nobis inhærentem, ſive in Animâ, ſive in corpore, ſingulare illud peccatum primi Hominis ſuis poſteris nondum natis aſcribunt, tenentur illi exponere & rationes peccati, & rationes juſtitiæ divinæ modo aliquo intelligibili, qui doctrinam illam admirabilem ſuſtineat. Peccatum enim quantum nobis concipere licet, eſt actio peccantis: nec alterius cujuſlibet nihil con-

Digitized by Google

contribuentis ad illam actionem, multò minùs nondum nati. Omnis actio, ſive bona ſive mala, probat exiſtentiam Agentis: non exiſtentis enim nullæ ſunt actiones aut affectiones. Et quemadmodum rectè dicitur, *Cogito, dubito, ergo ſum:* ita non minùs rectè dicitur, *Pecco, Deum offendo, ergo ſum.* Eſt eadem utrobique conſequentia, nec minùs clara & invicta. Præterea ſi peccata diſtribuamus, omne peccatum poſitum eſt vel in cogitatione aliquâ, vel in dictis vel in factis: Qui verò nondum eſt, non cogitat bene aut malè: nec loquitur quovis modo, nec quicquam agit. Eſt igitur peccati, ut ita dicam, incapax & Rom. iv. 15. & x. 14. 1 Joh. iii. 4. inſuſceptibilis. Denique, nulla eſt tranſgreſſio ſine Lege: nec ulla Legis incognitæ obligatio: Infantes autem, vel nondum nati nullam habent Legis, ſive naturalis ſive poſitivæ, cognitionem, (idq; per ignorantiam invincibilem) ergo in neutram peccare poſſunt. Eodem modo omne peccatum eſt voluntarium, ſed peccatum Adami nec voluerunt committere, nec commiſſum approbaverunt ipſius poſteri.

Hæc mihi videntur clara & perſpicua, & in ſuo genere demonſtrativa. At inquies forſan; ſint iſta quidem vera & ineluctabilia, modò intelligantur de peccato propriè & ſtrictè ſic dicto: ſed eſt inſuper aliud genus peccati, quod per ſolam imputationem oritur, dicíque poteſt peccatum *imputativum.* In hôc autem peccati genere poteſt quis eſſe aut haberi Reus, pœnáſque luere culpæ ab altero commiſſæ. Fieri hoc poſſe, ut inſons dicatur reus per iniquum Judicem, atque pœnas luat à potenti Domino,

Digitized by Google

mino, non nego. Fieri quidem id poteſt per abſolutam dominationem, quam ſolemus appellare Tyrannidem. Sed id fiat licet, nihil mutat in rationibus juſti & injuſti, nec proinde fieri poteſt omnino ab æquo judice Dominóque, qualis eſt Deus optimus maximus. A Deo, inquam, fieri non poteſt, ob ſuam perfectionem & ſanctitatem. Quandoquidem hoc tollit & obliterat ideam æquitatis divinæ, tollit diſcrimen juſti & injuſti, ipſámque formam & eſſentiam peccati. Ratio juſtitiæ punitivæ neceſſariò exigit, ut is, quid pœnas luit, reus ſit criminis illati: Reus, inquam, ut cauſa principalis aut acceſſoria, ut loqui ſolent: ut ope ſuà qualicunque, conſilio aut conſenſu, aliquid attulerit ad actionem illam criminoſam: aut illius ſaltem, factæ aut faciendæ, conſcius fuerit. Qui verò nondum natus erat, nihil egit, nihil contulit quocunque ex his modis, neque primariò neque ſecundariò, neque proximè neque remotè, ad peccatum Adami ſive alterius cujuſcunque: Ac proinde ſecundùm leges æqui juſtique puniri non debet ob Adami crimen, cujus erat penitùs inſons & inſcius. Si exemplo rem velis exhibitam, Dico Petrum, qui natus eſt annis quater millibus poſt lapſum Adami, non fuiſſe reum ipſius culpæ. Quod ſic probo; Qui nec voluntate, nec intellectu, nec affectibus aut quovis animi motu, aut quàvis humanæ mentis facultate, contulit quicquam ad crimen Adami, non erat reus iſtius criminis: Petrus autem nec voluntate, nec affectu, nec quovis ex dictis modis, contulit, contribuit, aut aſſenſit iſti crimini: ergo iſtius

tius criminis non erat reus. Enumera quot velis obligationum genera, aut reatûs cauſas, Petrus immunis erat omnium: non erat reus promittendi, ſtipulandi, ſatiſdandi aut accipiendi, conſpirandi, aut etiam conſciendi & celandi. Quo jure, quæſo transferes culpam, aut imputabis illam Petro? niſi eodem aut æquali jure quo in Angelum Gabrielem aut perſonam penitùs innocuam, eandem transferre liceret.

Sed reſpondebis forſan: Adamus erat communis parens generis humani, atque eo nomine ipſius poſteri eodem cum ipſo crimine involvuntur. Aſpera quidem & dura ſententia: quæ juſtitiæ rationes omnes ſupradictas lædit aut ſupergreditur. Sed videamus fundamentum hujuſce cauſæ prætextæ. Si nos involvit ſecum in ſuo crimine Adamus, vel id fecit ratione ſolius paternitatis, vel ratione pacti aut ſtipulationis nobis cum illo communis. Hoc pactum ab Adamo initum non legimus, neque memores ſumus aut conſcii cujuſvis pacti à nobis initi. Denique in pacto legitimo oportet ut conſentiant partes quæ vi pacti obſtringuntur, ſed conſentire non poterant nondum nati. Ad paternitatem quod ſpectat, Noachus pariter noſter erat parens communis, nec tamen ipſius ebrietas, aut aliud quodcunque crimen poſteris ſuis imputatur. Neque pars melior noſtrûm, Anima, quæ ſola peccat, & ſola pœnam ſentit, fit ex traduce: Non ab Adamo, ſed à Deo, Patre Spirituum, derivatur. Denique ex hâc lege, quam ponis, ſtirpis & ſanguinis, involutus eſſet quiſque peccatis

Digitized by Google

catis ſui patris, aut avi, aut proavi: & quò proximior parens, eò fortiùs obſtricti eſſemus & obnoxii delictis ipſius luendis. Sed ut quiſque ſuum portet onus, atque ſui operis mercedem referat, eſt lex æqui, Deique judicis æquiſſimi, (*Exod.* xxxii. 32, 33. *Deut.* xxiv. 16. *Ezek.* xviii. 20. *Gal.* vi. 5. 1 *Cor.* iii. 8.) in hôc judicio ſtamus cadimúſve.

Supereſt ultima quæ mihi occurrit excuſatio. Aiunt à jure humano hoc neutiquam alienum eſſe, ut plectatur filius ob delicta parentis: quod in crimine læſæ majeſtatis uſu venit apud multas gentes. Non diffiteor, ſed non eſt utrobique par ratio, ſive Legiſlatores ſpectes, ſive pœnas. Cogimur quandoque in rebus humanis leges ferre non quidem optimas abſolutè, & omni modo irreprehenſibiles, ſed pro loco & tempore & rerum ſtatu commodiſſimas: Quæ proſint univerſis, licèt nonnunquam in ſingulis hìc & illìc, ſint iniquæ. Nec pro rerum noſtrarum conditione hoc malum penitùs evitari poteſt. Bonum publicum privato præferendum eſt, & è malis minimum nobis elegendum, ſed Legiſlatori ſummo nulla incubuit iſtiuſmodi neceſſitas. Si res ſtetiſſet integra, nullis opus fuiſſet pœnis: Sin Deus prolapſuros viderit primos homines, eò magis oportuerit proſpicere poſteris, nequid detrimenti caperet à ſuis majoribus proles innocua. Dein quod ſpectat ad pœnam, non eſt hìc privata & ſingularis, ut in dictis legibus humanis, ſed eſt malum publicum & univerſale, non incidit

Digitized by Google

in hanc aut illam familiam, aut tribum aut gentem, ſed totum genus humanum involvit: nulla pars ſupereſt libera & impunita, cui proficiat aut terrori eſſe poſſit hoc exemplum, hæc ſeveritas nunquam reditura. Præterea, in gravitate & magnitudine pœnarum nulla eſt proportio. Quantillum eſt quod patimur ab his legibus humanis? Prædii, patrimonii, bonorum jacturam. Non vitâ privatur filius ob crimen patris quodcunque ſit: Sed quæ imputationem illam paterni criminis in peccato originali ſequitur pœna, attingit læditque vitam hodiernam ſimul & futuram, mortémque minatur temporalem & æternam. Nihil his majus, nihil gravius in pœnarum genere. Et in hàc proinde comparatione nulla eſt argumenti aut rationum paritas.

Sed quid quereris, inquiunt Pontificii? Juſtitia originalis non erat Adamo naturalis, ſed donum ſupernaturale. Ideóque nulla fit injuria poſteris Adami, ſi non deſcenderit ad ipſos donum gratuitum, cùm malè meruiſſet Pater. Sed negamus primò Juſtitiam illam fuiſſe ſupernaturalem: Integritas naturæ & rectitudo videntur eſſe debitæ, ex æquo & juſto, omni creaturæ in ſuâ origine, cùm primùm exit è manibus Dei, pura & immaculata; nempe ut idonea ſit & apta nata ad finem ſuum aſſequendum. Finis autem in naturâ rationali & immortali eſt beatitudo æterna. Proinde niſi primitus inſtructa ſit iſtiuſmodi dotibus quælibet Anima, atque in eo rerum ſtatu collocata, ut major ſit ſpes perveniendi ad felicitatem

Digitized by Google

licitatem quàm pereundi periculum, nulla, quantum video, elucet bonitas aut ſapientia conditoris in hujuſmodi creaturâ conſtruendâ. Præterea, ſi æquum eſſe cenſes, nos privari his donis ob alterius peccatum, ſaltem haud æquum eſſe videtur æternùm damnari quenquam ob alterius peccatum: aut eò nos redigi, ut neque velle bonum neque exequi poſſimus præ virium inopiâ: Denique innumeris malis & incommodis opprimi, externis & internis, corporis, animi, fortunæ. Hinc enim, ut aiunt, mentis tenebræ & mali affectus, corporis morbi & ægritudines: naturæ externæ inimica facies, cœli inclementia, terræ ſterilitas & rerum ad vitam neceſſariarum laborioſa acquiſitio: adeò ut difficile ſit *vivere* in hodierno ſtatu, *beatè vivere* impoſſibile.

Vides nos, ob peccatum Adæ, non tantùm ſpoliari donis extraordinariis, ſed etiam naturæ noſtræ debitis, dotibúſque ordinariis, ſecundùm æquam rerum conſtitutionem. In ſtatum præternaturalem aut contranaturalem protrudimur, multifariis diriſque malis onerati ob alienam culpam. Fac jam recognoſcere Adamum, ubicunque ſit, in quem rerum ſtatum totam naturam & genus humanum adduxerit: Quot in eum fundantur querelæ miſerorum mortalium. Clamant univerſi homines; Tu nobis author es omne genus malorum, cùm nihil mali feceramus. Clamat Natura, ſe vanitati ſubjectam eſſe invitam & reluctantem. Denique, ab inferis clamant Infantes; Crudelis Pater es nobis: nos luimus pœnas, non noſtræ ſed

tuæ culpæ. Nati ſumus & in lucem protruſi nobis inſciis, denati invitis. Nihil boni aut mali fecimus, & tamen hîc languemus in tenebris procul à Deo, aut æſtuamus in flammis: idque ob hanc unam culpam, quòd nati fuimus, quòd Tui ſimus Filii. Durus es Pater Infantum. Chriſtus nos amplexus eſt ſuis ulnis, dixítque nos Angelis in cœlis eſſe curæ, (*Mat.* viii. 10.) & ex noſtrûm ſimilibus conſtitutum eſſe Regnum cœlorum, (*Mat.* xviii. 3. & xix. 14.) Tu verò è contrà abigis Angelos noſtros, (ut te abegerunt olim è Paradiſo) & inter Dæmonas nos protrudis: non Regnum cœlorum, ſed infernorum conſtituturos. Dicimur quidem Innocentes & vulgò & à Prophetis; ſed non ita tractamur, *Jer.* ii. 34. & xix. 4, 5. Quid ſit malum aut peccatum, non novimus: Quid ſit pœna, parvuli miſeri nimis novimus. Nec locus eſt pœnitentiæ, aut unquam fuit, nobis infantibus: quà tamen aliorum remittuntur peccata.

Mat. x 16.

Vid. Mat. xviii. 6. de Saxo Molari, &c.

Tanti maleficii ſibi conſcius Adamus, tantæ noxæ, labis & maledictionis in totam ſuam ſtirpem, totam gentem humanam inductæ: Tot indidem opprobriis & querimoniis onuſtus, non video quî poſſit animi tranquillitate frui, aut verà beatitudine, ubicunque ſit. Sed querelarum ſatís.

Non ſuppetunt, quod ſciam, adverſæ cauſæ patronis plura defenſionis capita. Redeamus jam ad theſin ab initio propoſitam, quam ego ſemper axiomatis inſtar habeo. *Neminem fieri peccatorem niſi ſuâ culpâ.* Habitus

bitus eſt quidem peccator Chriſtus, qui *peccatum non novit*, ſed ita habitus eſt tantùm *οἰκονομικῶς*, repræſentatione quâdam: non erat reipsâ peccator Chriſtus. Ita nec fieri poſſumus peccatores reipsâ per aut propter alterius culpam. Hoc clarâ luce perſpicimus, modò quicquam à naturâ conſtitutum ſit de finibus juſti & injuſti, ac in tabulis mentis noſtræ rectè deſcriptum; clarè, inquam, percipio, alterius peccatum, antequam extiterim ipſe, commiſſum, nullà imputatione juſtè ferri poſſe in caput meum. Actio quævis non minùs individua eſt quàm perſona, nec magìs communicabilis: Et quemadmodum Petrus non eſt Adamus, ita actio Adami non eſt actio Petri aut viciſſim. Imputatio autem alicujus actionis alieno authori, nihil ponit reale in ſubjecto innoxio. Hæc imputatio qualiſcunque, ut id denique addam, eſt actio Dei, non actio hominis: & ſi ſolâ hàc imputatione peccator fierem, factus eſſem peccator actione Dei, eâque ſolâ: quod abſit at dicamus. HIS omnibus expenſis æquo liberóque animo, ſatius mihi videtur in explicando Peccato Originali non inhærere tenaciter parti illi imputativæ: ne deprehensâ iſtius partis infirmitate, tota doctrina labefactetur.

Progredimur ad doctrinam *Satisfactionis* & *Juſtificationis*. Animas humanas degeneràſſe ſupponimus, atque opus eſſe Mediatore, Interceſſore, Redemptore. Placuit autem Deo, rerum omnium Rectori, Filium ſuum unigenitum ad Terras demittere, ut, aſſumptâ carne, Ipſe ſeſe offerret ſacrificium pro-

Digitized by Google

propitiatorium pro peccatis humani generis.
Heb. ix. & x. Placuit inquam Deo, Mundi Domino, qui antea ſacrificia propitiatoria, per ſanguinem Vitulorum & Hircorum, ad expianda peccata inſtituiſſet, in conſummatione ſæculorum per ſanguinem & ſacrificium ſui Filii, omnes typos explere, & peccata remittere credentibus & obedientibus per & propter hanc victimam inæſtimabilis pretii, ſemel oblatam pro peccatis mundi. Hoc iterum iterúmque repetitum legimus ab Apoſtolis, *Rom.* iii. 25. & v. 8, 9. *Epheſ.* i. 7. *Col.* i. 14. & ii. 13, 14. 1 *Pet.* i. 3. & i. 18. 1 *Joh.* ii. 2. & iv. 10. *Rev.* i. 5.) Qui Deum hóc modo placatum docuerunt, vitámque æternam nobis largiturum, modò partes noſtras expleverimus.

Dixi hanc œconomiam placuiſſe Deo, mundi Rectori. Potuiſſet utique per pœnitentiam, reformationem & obedientiam peccata remittere: aut aliam inſtituiſſe methodum de peccatis remittendis. Quis enim bonitati aut ſapientiæ divinæ limites præſcribere auſus fuerit? Quiſque poteſt Debitorem ſuum aut gratìs abſolvere, aut ſub æquis conditionibus. Neque ad nos reos ſpectat hæc ſollicitiùs & ſcrupuloſiùs anquirere. Sufficit nobis Voluntas Dei revelata, cui inniti & acquieſcere, cum omni animi ſolatio, tutiſſimum & gratiſſimum eſt. Gratias agamus Chriſto, quas poſſumus maximas, qui a-
Mat. xx. 28, &c. xxvi. 26, 28. Luc. xxii. 19, 20. more noſtrûm ſeipſum obtulit (morte acerbà & ignominiosà) non tantùm in exemplum, ſed in ſacrificium propitiatorium & expiatorium pro peccatis humani generis. Deus re-

rerum hominúmque ſtatum optimè perſpectum habet, omnéſque ſæculorum ordines à principio ad finem mundi proſpiciens, vidit, quæ & qualis eſſet methodus accommodiſſima & efficaciſſima gentem humanam ad ſalutem perducendi: Eique placuit, conſilio nobis imperſcrutabili, hanc œconomiam in remittendis peccatis conſtituere. Permitte Deo ſuum mundum regendum, nec in minutiis ad formulas humanas exigendis ſimus temerarii aut pervicaces. In his, quod ſatìs eſt, ducem ſequimur ſcripturam ſacram, nec lumini naturæ contradicimus. Interea, ſi cui minùs placeat vox illa *ſatisfactio*, modò de re conventum fuerit, Pacis gratiâ mittamus, ſi libet, verba litigioſa, verba fori, quæ in Canone noſtro non reperiuntur: ut omnes λογομαχίας, quoad fieri poteſt, abſcindamus. Me judice, quò molliùs hæc tractantur, non ſecundùm apices juris, ſed accommodatè ad mores ritúſque Gentium & Judæorum, eò magìs reſpondent, tam affectibus humanis, quàm propoſito ſtylòque ſacrarum literarum. Omnes inutiles controverſiæ nocent religioni Chriſtianæ, quæ ſuâ naturâ eſt pacifica.

Ad doctrinam *Juſtificationis* quod ſpectat, multos de hâc re ſermones & diſſertationes habuit cum Judæis Paulus Apoſtolus, in quibus id agit maximè ut Legem vel Diſpenſationem Moſaicam imperfectam eſſe & Elementarem præ alterâ Evangelii, primámque è ſecundâ compleri & conſummari doceat: ac proinde evaneſcere in adventu Meſſiæ, ut ſolent minores ſtellæ exorto Sole. Dein ritibus

Digitized by Google

tibus Moſaicis & obſervationibus externis neminem juſtum fieri oſtendit, aut ita haberi apud Deum, ſed ob fidem vivam, cor rectum, vitámque puram. Ita Patriarchæ ante Legem Moſaicam habiti ſunt juſti, Deóque accepti: & extra eandem Legem, in

Act. x. 35. quâvis gente populi, *qui timent Deum & operantur juſtitiam*, Deo ſunt grati. Hæc eſt via Regia ad cœlum, univerſalis & perpetua. In hâc fundantur omnes œconomiæ particulares, & in eandem deſinunt.

Et quemadmodum materia, de quâ tractatur ab Apoſtolo, magìs ſpectat ad Judæos quàm Chriſtianos: ita modus tractandi eſt planè Judaicus, tam phraſeologiâ & formulis loquendi, quàm argumentis & ratiociniis ad eorum ingenium adaptatis. Non itaque mirabimur eſſe δυσνοητὰ nonnulla in Epiſtolis Paulinis, que nobis obſcura videntur, abrupta, aut incontexta: quum argumenta ad hominem, ut tela, non feriant in omnes partes, ſed quà diriguntur. Nos forſan quandoque latent conſuetudines, mores aut opiniones, unde pendeant aut petantur argumenta, indoles populi aut traditiones receptæ: neq; ideo vis rationum aut alluſionum ita vivida nobis appareat, ac viſa eſt iſtius gentis & genii Lectoribus. Sed doctrinæ Apoſtolicæ de juſtificatione hæc mihi videtur ſumma. Docet, Nihil habere Legem Moſaicam ſibi proprium & à Lege naturali diſtinctum, quod nos ſolidè reddere poſſit apud Deum juſtos, gratos, acceptos: Sed ab habitu animi & qualitatibus, intercedente Chriſto,

Gal. vi. 15. & v. 6. pendere ſalutem noſtram, *Neque circumciſio*

quic-

quicquam valet, neque incircumciſio, ſed nova creatura. Quod repetitur ſæpius ab Apoſtolis, tam ratione habitâ Legis Moſaicæ, quàm alius cujuſcunque œconomiæ. 1 Cor.vii. 19. Rom. ii. 28. 29.

Quid demum eſt *Juſtificari*, ſenſu tam Judaico quàm Chriſtiano? Reſpondeo, juſtum fieri, vel juſtum haberi, Deo judice. Sive, remiſſis peccatis, Deo acceptum eſſe. Quandoque latiùs accipitur vox illa Juſtificatio, quandoque ſtrictiùs, ſed id ſemper implicat, Deo quempiam eſſe acceptum. *Juſtificari* ſupponere ſolet crimen aliquod intentatum, dein crimen illud remiſſum vel expurgatum. Utrumque complectitur juſtificatio noſtra; Deus remittit peccata credentibus in Jeſum Meſſiam, & ipſius Legi obedientibus, intercedente autem ſacrificio Chriſti. Hócque ex parte Dei dicitur Reconciliatio, & ex parte noſtri Remiſſio peccatorum & expurgatio, (*Mat.* xxvi. 28. *Rom.* iii. 24, 25. & v. 9. 1 *Cor.* vi. 11. *Heb.* i. 3. & ix. 12. 1 *Pet.* i. 19. *Rev.* i. 5.) Quandoque latiori ſenſu accipitur juſtificatio, nullâ factâ mentione Chriſti, ut de Publicano, *Luc.* xviii. 14. & de Abrahamo, *Rom.* iv. *Jac.* ii. 23. cùm quis Deo amicus & acceptus habetur quibuſcunque juſtis de cauſis. Eodem ſenſu latiori juſtificat Fides quæ dicitur *naturalis:* quâ nempe creditur *Deum eſſe, omnéſque qui eum ex animo quærunt & venerantur, remuneraturum.* Qui credunt Deum eſſe, Numen optimum maximum ſapientiſſimum, Mundi rerúmque omnium Authorem & Rectorem, euſque Deo placent: Et ſi præterea animorum immortalitati, vitæque fu- Luc.xxiv. 47. Act.ii.38. & x. 43. & xiii.39. Heb. xi.6.

Digitized by Google

turæ præmiis fidem tribuentes, operam dent probitati & pietati, pro ſuis viribus & pro ſuo lumine, eatenus juſti ſunt coram Deo, & juſtorum mercedem accipient. Denique Fides Chriſtiana, majori gaudens lumine & præſtantioribus innixa promiſſis modo ſingulari & eminenti juſtificat, quatenus pleniorem ingenerat juſtitiam & perfectiorem, quàm efficere unquam potuiſſet Lex Moſaica aut Naturalis : quatenus etiam conditiones omnes partéſque explet, quas de peccatis remittendis Deus inſtituit. Proinde hæc fides inſignitur & κατ' ἐξοχὴν juſtificare dicitur, criminibus abſolvere, Deo reconciliatos, approbatos, amicos reddere fideles, ut omnimodò & inſolidùm juſtorum inſtar habeantur.

Quæcunque præterea ſuboriuntur altercationes humanæ in hôc capite, videntur mihi ſuperfluæ aut temerariæ: ortúmque duxiſſe à malè intellecto ſtatu hujuſce controverſiæ, cum Judæis aut Judaizantibus primùm initæ: paritérque malè intellectis, ob mutatas rerum, temporum & populorum vices, ſtylo modiſque arguendi, quibus utitur Apoſtolus *Paulus* in hàc doctrinà explicandà. Ad fontes recurrendum eſt, & prima religionis fundamenta, cùm in particularibus hæremus: ut per analogiam cum primariis, cætera intelligamus ſanè & rationabiliter. Eſt quædam ἀνθρωποπάθεια in totà ſerie religionis inſtitutæ, ſive Judaicæ, ſive Chriſtianæ: Deus iraſcitur & placatur, inſtar hominum, peccata expiantur ſuo modo per ſacrificia, ritúſve alios: Hæc non

ſiunt

Digitized by Google

ſiunt θυσικῶς, ſed ἠθικῶς aut οἰκονομικῶς, ſecundùm mores affectúſque hominum: Atque alia non pauca in ſacris literis imitantur ordinem rerum humanarum, aut intelligenda ſunt θεοπρεπῶς. Ita bona opera licèt omnino ſint neceſſaria ad juſtificationem & ſalutem, tamen vox illa *Meriti* (utcunque apud homines uſitatiſſima) Deum inter & nos miſellos eſt prorſus incongrua.

Satis dictum eſſe putâſſem de hâc materiâ, niſi veniſſet mihi in mentem dogmatis pernicioſi, quod Antinomi vel Antinomii, ut dicuntur, in hanc partem doctrinæ Chriſtianæ invexêre. Aiunt illi ſcilicet nos juſtificari, atque Deo gratos & acceptos haberi, fide ſolâ, nudâ, à bonis operibus & interiori ſanctitate abſtractâ. Ad refutandum hoc dogma nefarium, id unum, ut mihi videtur, ſufficere debet; *Quicquid* abhorret à religione naturali, in nullâ religione *Divinitus* inſtitutâ locum habere poteſt. Hoc autem dogma, quum naturæ divinæ perfectionibus adverſetur, paritérque obſtet perfectioni naturæ humanæ, fundamenta finémque religionis in genere, ſive naturalis ſive inſtitutæ, unà tollit & evertit. Et quoad Chriſtianam in ſpecie, quantum diſtant lux & tenebræ, dies & nox, tantum diſſident ab hâc ſententiâ Chriſti & Apoſtolorum inſtitutiones. Nihil quidem eſt nobis Chriſtianis cum ritualibus opuſculis Legis Moſaicæ: Hanc explevit Chriſtus, & ſenſim abſtulerunt Apoſtoli id libenter concedimus, id ſæpius prædicavit S. *Paulus*: ſed Lex mora- Mat. v

T 2 lis &c.

Digitized by Google

lis vim habet æternam, obligationem perpetuam ſub omni œconomiâ divinâ. Hanc legem Chriſtus in primâ ſuâ oratione ad populum egregiè expoſuit, confirmavit, ſuiſque præcepit accuratiùs obſervandam. Et quærentem ab eo ſalutis viam imprimis monuit de cuſtodiendis Dei præceptis, *Mat.* xix. 16, 17, 18, &c. Pœnitentiam morúmque reformationem, ad præparandam viam œconomiæ Chriſtianæ, imperavit *Johannes*, Chriſti præcurſor, *Mat.* iii. 2, 8, 9, 10, 11, 12. Idem nos docuit Chriſtus ipſe, & qui aliud docent pro pſeudoprophetis haberi voluit, Lupíſque rapacibus agninam pellem indutis, *Mat.* vii. 15, 16, 17, &c.

Apoſtoli pariter vitiis omnibus moribúſque impuris bellum ubique indicunt. Quæ ſint opera carnis, Chriſtianis fugienda: Quæ Spiritûs Sancti, Deo grata & nobis ad ſalutem neceſſaria, diſtinctè explicant. Et vitioſos ſceleſtóſque omnes è regno cœlorum firmiter excludunt, *Gal.* v. 19, 20, 21, &c.
1 Cor. vi. 9. *Hebr.* xi. 14. Docent hunc eſſe finem Evangelii, adventûs mortíſque Chriſti, *Qui*
Eph. v. 5. *dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab*
Col. iii. 5. 6. *omni iniquitate, & purificaret ſibiipſi populum peculiarem, accenſum ſtudio bonorum operum.* Tit. ii. 14. Epheſ. v. 25, 26, 27. *Ad hoc manifeſtus factus eſt Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli,* 1 Joh. iii. 8. Innumeri ſunt præterea loci in Codice Chriſtiano, qui juſtitiam inſitam & proprii animi ſanctitatem, non vicariam & ſubdititiam, unicè Deo grata, nobíſque ad ſalutem neceſſaria, docent & demonſtrant. *Quiſquis hanc habet ſpem,*

Digitized by Google

ſpem, purum ſeſe conſervat, ſicut ipſe Chriſtus eſt purus, 1 Joh. iii. 3. Jam. i. 27. Nervus omnis religionis eſt interna ſanctitas, & quæcunque repugnant religioni naturali, expurganda ſunt è Chriſtianâ tanquam ſordes, aut amputanda ut recrementa.

At hujuſce ſectæ ſequaces dicent forſan, ſe quidem eſſe juſtos, per juſtitiam Chriſti iis imputatam. Sed quomodo quæſo? Qualis eſt hæc juſtitia imputata? Ecquid ponit in re, extra intellectum & imaginationem? Mutátne naturam ſubjecti? Si Æthiopi imputem albedinem, modò nulla fiat mutatio phyſica in corpore & cute Æthiopis, manet ipſius nigror non obſtante meâ imputatione albedinis. Eodem modo nihil valet illa imputatio juſtitiæ, ſiquidem nullam mutationem realem, nullam renovationem in perſonâ cui imputatur, efficiat. Nôſti comparationem quâ utitur Apoſtolus, ſi nudo aut eſurienti dixeris, abi in pace, incaleſce, ſaturator; nihil autem dederis quod frigus repellat aut famem levet, quid proderit alterutri hæc fictitia charitas? Jacob. ii. 15, 16, 17.

At inquies, ſecundùm ſacras literas & dicta Apoſtolorum, nobis imputatur juſtitia Chriſti: Eſto, ſed eodem modo quo Chriſto imputatur peccatum noſtrum, 2 *Cor.* v. 21. Et quemadmodum non factus eſt Chriſtus revera peccator illâ imputatione peccati, ita nec imputatione ipſius juſtitiæ facti ſumus (abſque pœnitentiâ moribúſque emendatis) revera juſti. Hæ ſunt denominationes extrinſecæ, ad ordinem & œconomiam Evan-

gelii

Digitized by Google

gelii accommodatæ, ſed nullum effectum obtinent ex parte noſtrâ, niſi juſtitia inhærens & intrinſeca acceſſerit. Id nos monuerunt ſæpius Apoſtoli, ut Judæos olim Prophetæ: At inquies, quid tum valet Fides Evangelica? Quid gratia divina? Valent utique quàm maximè, ſed mutando naturam & qualitates ſubjecti cui inſunt & attribuuntur. Aliter parum aut nihil valent. Fides quæ nullos fert fructus eſt mortua, & gratia inefficax
Tit.ii. 11, quæ ſanctitatem non ingenerat. *Filioli, ne-*
12. *mo vos ſeducat*, inquit Apoſtolus, *qui exercet juſtitiam juſtus eſt, ſicut ille juſtus eſt*, 1 Joh. iii. 7. Gal. vi. 7. 1 Pet. i. 15. Et ex his præmiſſis conſtat, Sanctificationem eſſe conditionem neceſſariam Juſtificationis.

Hypocritis placet prædictus error: credulíſque & infirmis nonnunquam ſurrepit. Sed malè res cedet utriſque: Quod quiſque ſeverit id metet, nec amplius. Qui juſti ſunt in hôc ſæculo inſtitiâ non reali & inhærenti, ſed imputatâ tantùm, beati erunt in altero, non beatitudine reali, ſed imputatâ & imaginariâ. Quinimo nec illâ fruentur felicitate fictitiâ, ſed, inſtar expergefactorum è ſomno, qui ſe edere & bibere ſomniabant, evigilantibus evaneſcent illa phantaſmata, atque ſe ſiti & fame oppreſſos ſentient. Ferimus puerilia, modò non ſint noxia: ſed hujuſmodi errores ſuis morſibus infundunt venenum omni religioni, nedum Chriſtianæ. Quid ſi *Paulus* fervidiùs diſputans contra Judæos, miniſterium Evangelii magnificans, depriménſque illud Legis Moſaicæ, unum atque alterum dictum, forſan ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς,

Digitized by Google

θολκῆς, ambiguum protulerit, quod torqueri potuerit ab imperitis in alienum ſenſum? id ſano ſenſu exponendum eſt, ita ut cohæreat cum toto corpore, atque aliis locis, pluribus & clarioribus conſentiat. Hæc eſt regula generalis interpretandi ſacram ſcripturam: nequid efferamus temere in damnum & dedecus doctrinæ Evangelicæ. Cujus nimirum, hæc eſt gloria & eminentia, quòd omnibus, tam Gentium quàm Judæorum præluceat inſtitutis, in formandis moribus, & ad elevandam naturam humanam in participationem divinæ. Nec ab hàc regulà quovis obtentu juſtitiæ novæ & tralatitiæ eſt recedendum. Sed de his ſatis.

Hinc deinceps agi ſolet de *Libero Arbitrio*, & de *Concurſu Dei:* Spinoſis utique quæſtionibus, ſed *Cui Bono?* Certum eſt eouſque nos eſſe liberos & propriarum actionum dominos, ut Deus non ſit Autor ullo modo peccati noſtri. Et ex alterà parte conſtat, Deum ſemper eſſe paratum favere, ſubvenire, & aſpirare conatibus noſtris: atque nos conari poſſe aliquatenus non minùs eſt perſpicuum. Cùm aliàs inutiles eſſent & ludicræ omnes adhortationes, ſimul & præcepta, totúmque Evangelium. Qui te jubet aut hortatur ut montem amoliaris, neque vires præſtat aut auxilium, ludit, aut tuam tibi exprobrat imbecillitatem. At in præceptis divinis nulla eſt ludificatio aut exprobratio. Quodcunque Deus imperat facultatem dat perficiendi, aut à Naturà aut à Gratià: nec tuà aut meà intereſt ſollicitiùs inquirere quota ſit pars hujus in operà præſtandà,

Digitized by Google

dà, quota ſit illius. In omni argumento excutiendo certa ab incertis, utilia ab inutilibus ſecernere oportet: Et in controverſiis Theologicis ſi amputaveris primò quæ de *verbis & nominibus* oriuntur lites, dein quæ de rebus non neceſſariis, quod reliquum eſt parvo includetur ambitu, & à paucis in dubium revocabitur.

De *Gratiâ*, cujus ſuprà meminimus, non diſſimiles ſunt & vix pauciores controverſiæ. Nomine *Gratiæ* omnes intelligunt influxum aliquem divinum quo mens illuminatur in cognitione veri, & voluntas affectúſque verſùs bonum inclinantur. Hic influxus gratioſus eſt univerſalis ex nonnullorum ſententiâ, vímque ſuam habet & effectum magis minúſve pro ratione habitúque animorum in quos illabitur. Secundùm alios eſt particularis & diſcriminativus, neque à diſpoſitionibus animorum pendet ſemper effectûs inæqualitas. Eſto, non *ſemper:* In his & illis gratiam diſcriminativam agnoſcunt, opinor, omnes: ut in Prophetis & Apoſtolis, aliiſve ad opus aliquod ſingulare à Deo conſtitutis. In reliquis autem quid ni ſe diffundat uniformiter in omnes, ut Lux Solis, hæc vis divina: penetrétque & operetur diverſimodè pro qualitatibus ſubjecti
Act. x. 34. cui incidit. Deus non eſt προσωπολήπτης, nec
1 Pet. i. 17. ipſius bonitati æquum eſt limites præſcribere ex amore proprio aut animi noſtri anguſtiis. Eſt communis Pater, qui impertit omnibus, ut pluviam, ita rorem Gratiæ: ſuúmque per totum agrum ſpargit ſemen, quod pro diverſitate ſoli, aliiſque circumſtantiis,

Digitized by Google

ſtantiis, fructus fert magis minúſve, inæquabili varietate. Chriſtus etiam ſeſe obtulit ſacrificium propitiatiorium pro omnibus. 1 Joh. ii. 2. Nec cuiquam deerit ſubſidium Spiritûs Sancti, modò quod in ipſo fuerat, fecerit. Denique pietati & conatibus noſtris, quinetiam gloriæ divinæ, obicem ille ponere mihi videtur, qui liberaliter effuſam cœleſtem gratiam ad paucos & incerti nominis reſtringit.

Interea, & *velle & perficere* à Deo accepimus, & in utroque Sancti Spiritûs auxilio, intus operantis & inhabitantis, adjuvamur, (*Phil.* ii. 13. *Epheſ.* iii. 16.) Et ab hac inhabitatione *Templa Dei* dicimur, & quaſi Sanctum Sanctorum, ubi divinæ præſentiæ ſedes, (1 *Cor.* iii. 16. & vi. 19, *Epheſ.* ii. 22.) Hinc etiam ſpes nobis certa immortalitatis & reſurrectionis futuræ per inhabitantem illum Spiritum Sanctum cujus habemus primitias, quaſi principium vitæ & liberationis à corruptione, *Rom.* viii. 11, 23. 2 *Cor.* v. 4, 5. Eodem etiam reſpicit, cùm idem Spiritus, vel ejuſdem participatio noſtra dicitur *Arrha* vel *Arrhabo* futuræ hæreditatis & gloriæ: nempe pars pretii in anteceſſum ſoluta, ut de præſtatione reliqui rata fiat fides, 2 *Cor.* i. 22. *Epheſ.* i. 13, 14. & iv. 30. Denique idem Spiritus alio aſpectu aut alluſione dicitur *Sigillum*: quo ſcilicet obſignatur & fit authentica æternæ hæreditatis promiſſio, ut ex iiſdem locis patet. Ita loquitur Scriptura Sacra de ſignificatione & efficacià Spiritûs Sancti fideles inhabitantis: & licèt in iis qui dona

Digitized by Google

ipſius extraordinaria guſtaverat, vim habuerint hæc dicta fortiorem & ſingularem, omnes tamen complectuntur qui ab eodem Spiritu ſunt regeniti, renati, renovati, (*Joh.* iii. 5. *Tit.* iii. 5.) Qui *ſemen* illud *incorruptibile* in ſe retinent, (1 *Pet.* i. 23.) & ejuſdem vitæ æternæ ſunt hæredes.

Poſtremo, ut hæc finiam, Quid preces fundimus quotidianas ad ſolium Dei, publicas, privatas, ut Deus nos adjuvet, infirmitatibus noſtris ſuccurrat, mentem illuminet, voluntatem & affectus amore ſui accendat, flectátque cœleſtia versùs & æterna: Quid, inquam, hujuſmodi precibus Deum interpellamus & laceſſimus, ſi nihil indè fructûs ſperare liceat, nec iſtâc ope aut auxilio indigeamus?

Succedit doctrina de *Decretis Divinis*, Electionis & Reprobationis: & de præſcientiâ Dei. Deum intueri omnia, præterita, præſentia, futura, cujuſcunque generis, mihi extra dubium eſt. Quinetiam ordinem inſtituere quo alia aliis ſint ſucceſſura. In mundo autem naturali, præter ordinem, cauſas rerum omnium, à principio ad finem ſæculorum, Deus conſtituit, & in ideâ mentis ſuæ incluſas tenet. Cauſas proximas, remotas: primas, ultimas, intermedias: totam ſeriem, totam catenam: aut ſi magìs placet, integram telam & contextum Univerſi. Ipſe ſcilicet prima naturæ ſtamina, prima mundi fundamenta ita diſpoſuit, ut non tantùm pulcherrima rerum compages indè oriretur, ſed eadem etiam materia laben-

Digitized by Google

labentibus ſæculis, ſecundùm ſtatos ordines & periodos, in alias atque alias formas mutata, multifariam Opificis & Rectoris ſapientiam oſtentaret. Proinde ſtatuendum eſt, (neque enim fas eſt credere, Hæc, Deo inſcio, fortuitò & contingenter adveniſſe) Ideam Mundi naturalis, æternam, ſtabilem, univerſalem, infallibilem, tam in primâ ipſius facie & fabricâ, quàm in toto ordine ſubſequenti, & per omnes viciſſitudines à principio ad finem, in mente divinâ ſubſtare & ſemper ſubſtitiſſe.

De mundo morali ſecunda eſt quæſtio: Qui ſuas non minùs patitur viciſſitudines, ſtatus degeneres, inſtaurationes, & complementa. Quis mihi probaverit aut perſuaſerit hæc magìs latuiſſe Deum, quàm cætera quæ memoravimus? Videmus naturam nunquam non conſpirare cum Providentiâ, veluti ſociam & fœderatam: Mundúmque Naturalem ita ſeſe acclinare & reſpondere morali, ac ſi illius hic eſſet quaſi famulus & miniſter; ad exequendam ſcilicet Dei iram funeſtis cataſtrophis, aut teſtandam ipſius benevolentiam in ſtatu innocuo. His perſpectis, æquum eſt credere ſapientiam & juſtitiam divinam hæc ita temperâſſe ab initio rerum, ut pari paſſu incederent. Quod quum fieri non potuit, niſi præcognitis & prædiſpoſitis utriuſque mundi futuris mutationibus, didicimus igitur primò, omnes motus & mutationes materiæ in mundo naturali, ſive majores, ſive minores, præſciri à Deo, ſuóque beneplacito comprobari, Dein, in mundo morali pariter dicimus,

Digitized by Google

omnes ſtatus generales, & converſiones ſive in melius ſive in deterius, ſubjici divinæ providentiæ, præſcientiæ, & præordinationi. Hæc mihi videntur clara; ſed manet tertia quæſtio, ardua & perobſcura, quatenus ſcilicet in ſingulis hominibus, eorumque actionibus ſingulis, locum habeant præſcientia & præordinatio divina, idque ab æterno? Ratio dubitandi & difficultas in eo ſita eſt, quòd tolli videatur libertas humanæ voluntatis, ſi omnes ipſius motus, non reſciantur modò, ſed etiam præſcribantur & definiantur ab æterno. His enim poſitis à Deo omnipotenti & infallibili, omnes deinceps, ut videtur, voluntatis actus neceſſarii forent & immutabiles.

Hunc nodum vix aliter expedire poſſumus, quàm agnoſcendo humani intellectûs imbecillitatem & anguſtiam. Veram eſſe utramque partem ſeorſim, perſpicimus clarè: ſed modum conciliandi alteram alteri, quum adverſæ videantur, ignoramus. Neque tamen deſerenda eſt veritas aut hæc aut illa, propter illam ignorantiam concomitantem aut intermiſtam, ſive eò quòd *ex parte tantùm cognoſcamus*, ut inquit Apoſtolus. In omni ſiquidem materiâ, nedum infinitâ (qualis eſt illa præſcientiæ & præordinationis divinæ) notum ab ignoto, clarum ab obſcuro, diſtinguere oportet: relictiſque quæ nos latent, ea retinere quæ manifeſtò cadunt ſub aſpectum noſtrum & intelligentiam. Comperimus autem certiſſimâ experientiâ & interiori ſenſu in permultis nos eſſe liberos & proprii juris, ad excitandum hos aut illos motus

Digitized by Google

motus in corpore, ut itidem cogitationes à nonnullis rebus avertamus, & applicemus ad alias, ut in dubiis aſſenſum cohibeamus: & in aliis plurimis eandem nobis ineſſe potentiam experimur. Ex alterâ autem parte, Deum eſſe omniſcium, nec quicquam accidere eo invito aut inſcio, certò novimus: tam ex perfectione omnimodâ naturæ divinæ, quàm quòd aliàs non eſſet idoneus Mundi Rector. Pendent enim res humanæ (præſidente ſemper providentiâ) ab humanis actibus, & potiſſimùm ab his primis cardinibus: A voluntate Principum, à deliberationibus & conſultis Senatûs aut Conciliorum, & à prœliorum eventu: & niſi hæc prænoverit Deus, quid craſtino die futurum ſit, neceſſe eſt neſciat, neque ullam habeat ſtabilem ideam rerum humanarum & regiminis mundani, ad omnes gentes & ſæcula pertingentem. Quod ſi habeat hujuſmodi Ideam Providentialem, ut ita dicam, quæ rerum temporúmque totam ſeriem complectitur (qualem utique ſummo Numini, cui nihil inopinatum aut improviſum accidit, omnes ſapientes attribuunt) eandem vel approbat vel improbat. Si approbat, ratam facit: Sin improbat, nunquam eveniet, non prævalebit illa rerum ſeries, Deo invito. A quibus enim cauſis effici poteſt quicquam contra Dei beneplacitum? Si permitti hæc dicas, non approbari; quod permittitur à causâ potenti, quodammodò approbatur; ſi non abſolutè, ſaltem comparatè: aut ad illuſtranda alia, ut ſoni diſcordes aptè intermiſti harmoniam acuunt, qui tamen in ſeipſis ſunt ingrati. Præterea notandum,

quò

quò minùs hæc dura videantur, quoad rerum futurarum ordinem & certitudinem idem valere præſcientiam divinam ac præordinationem. Quum enim illa ſit infallibilis & univerſalis, nihil aliud evenire poteſt, aut alio modo quàm quo incluſum eſt in Ideâ intellectûs divini. Denique, ſi dederis Deum præſcire omnia, vel præſcit ea in ſuis cauſis, vel in ſuo decreto: Et eódem recidit utrumlibet quoad eventuum immutabilitatem. Sed de his ſatís.

Non eſt ſapientis argutari de modis rerum incomprehenſibilium, ſed in clarè perceptis acquieſcere. Statuamus Deum eſſe omniſcium, mundúmque regi providentiâ ad ipſius voluntatem & præſcriptum. Dein, ut intimè conſcii ſumus, nos in pluribus ſponte, voluntariò, liberè agere. Si verò in his componendis occurrat aliquid perplexum & intellectui noſtro impervium, Eliam expectemus, ut aiunt Judæi: novum lumen & revelationem pleniorem. Interea, quod tutiſſimum eſt, ſopitis controverſiis ineluctabilibus, quæ vehementiùs agitatæ charitatem lædere ſolent, operam demus pietati & virtuti colendis, noſtríſque conatibus nihil obſtabit aut officiet quævis præſcientia divina aut præordinatio.

Hæc hactenus: Sunt quidem plures aliæ ſat ſcio, controverſiæ & controverſiolæ inter Theologos, ſed non id agimus ut earum cenſum integrum inſtituamus, quum ſuis numeris opprobrio ſint potiùs religioni Chriſtianæ quàm adjumento aut honori. Hæc mihi

Digitized by Google

mihi videntur graviora capita diſſenſionis inter amicos; & de Pontificiorum erroribus dicenda ſunt plura in ſequentibus. Interea hæc ipſa capita non tractanda mihi aſſumpſi ut ſubtilitates captarem, aut ut ea excuterem & definirem argutiùs, ſed ut, minutiis relictis, animíſque compoſitis, quæ noxia ſunt evitemus dogmata, quæ verò innoxia toleremus: incerta licèt ſint, & ſententiis noſtris privatis adverſa. Quod dixit Marthæ Chriſtus, *Martha, Martha, ſolicita es, & ſatagis de multis,* *UNUM EST* Luc. x. 40.
NECESSARIUM, Idem ferè dici poteſt de his dogmatis ſecundariis; modò animum pium & ſincerum afferas, fidémque inconcuſſam in verbo Dei, leviores teget errores charitas. Multitudine controverſiarum obruitur animus, & abducitur ab earum rerum intuitu & examine, qui ſcitu ſunt maximè neceſſariæ. Ad claudendum hoc argumentum reſtat tantùm, ut de *Opinionibus* in genere pauca inſuper diſſeramus.

Opiniones appello variantes ſententias hujus & illius ſectæ aut cœtûs hominum, qui in fundamentis fidei conveniunt. Hujuſmodi opiniones, ſive veræ ſive falſæ, proveniunt vel ab intellectu ſolo & ſimplici, vel ducto aut incitato ab affectibus. Actus intellectûs in ſeipſo eſt involuntarius, nec pro arbitrio noſtro cuilibet opinioni aut propoſitioni aſſenſum præbere poſſumus, aut eundem negare cuilibet: ſed datum lumen ſequimur: ac proinde quod à ſolo pendet intellectu, licèt error ſit, non habet rationem peccati: ſed imbecillitatis humanæ.

Quum

Digitized by Google

Quum verò affectus vitioſi in animum & intellectum influunt, trahúntque aut alliciunt in ſuas partes, id reverà rationem habet criminis: & ab hôc fonte oriuntur errores plurimi, id licèt plerunque fugiat ipſos authores. Propterea cùm experimur nos ferri aut vehementiùs inclinare in hanc aut illam opinionem abſque ratione explicitâ aut examine præmiſſo, meritò dubitandum & inquirendum à quibus cauſis quâve origine proveniat illa anticipatio aut præjudicium. Quod ſi ad liquidæ rationis principia reduci nequeat, aut ullum claræ cognitionis ordinem, ad *affectus* referendum eſt. Affectuum enim nomine hîc complector quicquid, præter rationem & oracula ſacra, momentum aliquod habet aut vim flectendi animum in hanc aut illam opinionem aut ſententiam. Sive id à corpore & ipſius temperamento oriatur, (quod potiſſimùm in Enthuſiaſticis contingere ſolet) ſive à cauſis exterioribus.

Temperamentum corporis quandoque incaleſcit nimiùm, quandoque nimis craſſeſcit: atque hinc naſci Atheos & Epicureos aiunt, illinc inflammari fanaticos. Sed de his cauſis interioribus non eſt hîc diſſerendi locus. Plures ſunt cauſæ exteriores, educatio, authoritas, quietis amor & ſtudium, utilitas, aliáque vitæ commoda & honores. Ab educatione & inveteratâ conſuetudine multa imbibimus documenta de rebus ſacris, abſque rerum ipſarum examine. Quod vix aliter fieri poteſt, aut penitus evitari. Teneris animis infundenda ſunt principia religionis, ſed his unà adjungit aut intermiſ-

cet

Digitized by Google

cet quælibet ſecta, quævis Eccleſia, opiniones ſibi proprias: quæ eàdem fide recipiuntur, & nonnunquam inculcantur diligentiùs & majori ſtudio, quam primaria capita. Hinc fit plerumque, ut ea nunquam in dubium revocemus, quæ à majoribus & ſuperioribus accepimus: multò minùs audemus ea conteſtari aut redarguere quæ pro veris haberi vult authoritas publica. Ab his dogmatis receptis ſi vel tantillum diſceſſeris, concitabis tibi odium atque nonnullorum iras. Plerumque cum famæ & fortunæ diſpendio, ſi fortè parcatur gravioribus damnis. Oportet eſſe fortem animo, & ſimul veritatis amantiſſimum, ut his quiſpiam non deterreatur malis à quàvis ſententià amplectendâ, aliis ingratâ, ſibi noxià. Quocirca nihil miror apud plurimos plurimùm valere hæc argumenta, quum ad partem tutiorem & utiliorem omnes ſimus propenſiores.

Crede mihi; non eſt eadem libertas animi & intellectûs in quæſtione Theologicâ ac Mathematicâ excutiendâ. Hîc ſola veritas mentem tangit, & aſſenſum provocat: cùm nihil profuturum ſit aut obfuturum Mathematico, ſive hanc partem, ſive illam, veram eſſe comperiat & pronunciet. Sed Theologo non perinde integrum eſt utramlibet ſequi partem, pro rationum pondere: Multa obſtant & impediunt intus & extrà quo minùs latentem videat, viſámque agnoſcat efferátque veritatem. Et ſi quid humanitus patimur, ab illecebris mundi, à

Digitized by Google

metu malorum inſequentium, aut denique à præjudiciis educationis, ratio habenda eſt imbecillitatis humanæ, ut hôc modo errantibus aliquid condonemus.

Diſtinguendi ſunt igitur Opinatores, alii ab aliis: Qui mores corrumpunt ſuis opinionibus, & ſanctitatem legis Chriſtianæ, me judice non ſunt ferendi. Neque minùs illi qui peccant in jus naturale & ſocietatem humanam. His autem illæſis, unicuique liberum eſſe videtur ſuas opiniones, aut ſecum retinere, aut in publicum proferre, modeſtè & pacificé. Ut quiſque ſibi reſervet, alátque pectore incluſas quaſcunque opiniones, nemo impedire poteſt, ne quidem acerrimi hoſtes libertatis Chriſtianæ. Et ſi nihil præterea conceſſeris aut indulſeris errantibus, non id juſtitiæ tuæ aut clementiæ tribuendum, ſed neceſſitati, aut puniendi impotentiæ. Sed ut jus humanum & Chriſtianum ſequamur, permittendum eſt, ut quiſque ſuam ſententiam honeſtè proponat, quaſi in communi hominum ſenatu, ſecundùm æqui veríque regulas examinandam, ut à diſſentientibus, ſi opus eſt, refutetur: & apud alios vim ſuam habeat pro rationum allatarum momentis. Hæc mihi videtur, ad veritatem inveniendam, via recta: Et qui alio incedunt tramite, Tribunal erigere mihi videntur infallibile apud homines: Quo quidem erecto & legitimè ſtabilito, jus habent definiendi omnes controverſias. Qui verò hoc jus ſupremum & infallibile ſibi non aſſumunt arrogántve, ſeſe aliis fatentes ὁμοιοπαθεῖς, paritérque erroribus

roribus obnoxios in ſuis ſententiis, eorum decreta aut deciſiones eatenus tantùm valere poſſunt (quantum ad veritatem patefaciendam ſpectat) quatenus fundantur in * ſacris literis & in rectâ ratione. Agnoſcunt quidem omnes pro lege & regulâ ſcripturam ſacram, ſed hujuſce legis interpretes infallibiles nullos habemus, nullos agnoſcimus. Id conſcientiæ cujuſque & § *judicio diſcretionis*, ut dicitur, in ſingulis apud nos rectè permittitur.

Ut alii aliorum ¶ notiones & ſententias intelligant, excutiant, dijudicent, refuténtque aut amplectantur, in omnibus diſciplinis & ſcientiis permiſſum eſt, ad promovendam rerum cognitionem: Et in ſolâ Theologiâ ſi nobis interdictum ſit hâc libertate, illo interdicto non tantùm via obſtruitur veritati inveſtigandæ & adipiſcendæ: ſed, quod gravius eſt, adducitur in ſuſpicionem ipſa Religio, ac ſi, ſuæ infirmitatis conſcia, malè ſibi metueret ab omni examine libero & accurato. Quod abſit ut concedamus.

* Baſil. Epiſt. 80. p. 143. *ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφὴ*, &c.

§ *Quæ obſcurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta ſunt, ea quiſque ſicut voluerit interpretur ſecundum ſenſum, ſuum* Aug. de Unit. Eccleſiæ c. 16.

¶ *Parem cum fidelibus ii qui errant pacis & quietis fructum accipiant,* &c. V. Conſtantini verba apud Euſeb. lib. 2. de vit. Conſtant. Ὁμοίαν τοῖς πιστεύουσιν οἱ πλανώμενοι χαίροντες λαμβανέτωσαν εἰρήνης τε καὶ ἡσυχίας ἀπόλαυσιν.

Digitized by Google

De his omnibus ſi candidè & maturè deliberemus, haud æquum videbitur, aut è re noſtrà, ſalvis fidei fundamentis, aliis invitis opiniones obtrudere. Eſt quædam pulchritudo in varietate innocuâ, atque animorum colores diverſi non minùs placent quàm florum, aut animalium pictæ veſtes. Si omnia objecta alba eſſent aut nigra, deeſſet naturæ ſuus decor, ſua ornamenta: neque oculos animúmve recrearet identidem repetita rerum facies. Præterea, diſcrimina ingeniorum & opinionum ſtimulant & exercent mentem, vim & motum excitant, ne torpeant & ſtagnent res humanæ. Nec quenquam gravare ſolent leviora diſſidia, præter moroſos, imperioſos, & opinioſos; Facit etiam ſæpe ipſa anguſtia & exiguitas animi, ut ægrè feramus quicquid à ſententiâ noſtrâ diſſidet. Da mihi principia religionis naturalis & Religionis Chriſtianæ, ob cætera charitatis & amicitiæ vincula non diſrumpam.

Digitized by Google

CAP. IX.

De Eccleſia Chriſtiana, ipſius regimine & diſciplina.

UT olim primarii Philoſophi ſectas condidère, nomine, doctrinâ, & inſtitutis à reliquâ gente humanâ diremptas & diſcriminatas, ita manifeſtum eſt id in conſiliis fuiſſe Jeſu Nazareno, ut ſectam inſtitueret, novâ Lege à cæteris omnibus diſtinctam: eámque diffundendam in omnes gentes, & in omnia ſæcula permanſuram.

Sic *parvis componere magna* ſolemus: Eſt autem revera altioris ordinis hæc inſtitutio Chriſtiana, nec tam Philoſophorum ſcholas reſpicit quàm Gentiliſmum in genere, atque Judaiſmum. Quorum alterum penitus improbavit, alterum explevit & ceſſare voluit; novámque Legem in rebus ſacris, populúmque ſub hâc Lege ſibi proprium conſtituit. Retentâ ſemper & illuſtratâ, quod ſæpius diximus, Lege naturali, virtutis & pietatis fundamento.

Utcunque, hæc nova inſtitutio aut ſocietas dicta eſt primùm à Judæis *ſecta Nazaræorum*, vel *hæreſis* Nazaræorum, (nec quidem malè ſonuerunt olim hæ voces) à Jeſu Nazareno nomen ſortita. Apud Gentes autem, Antiochiæ, diſcipuli Chriſti primò dicti ſunt Chriſtiani, à Chriſto capite, quo titu- Act. xxiv. 5, 14. Act. vii.

Digitized by Google

titulo etiamnum gaudent. Sed ad denotandum hunc cœtum & ſodalitatem Chriſtianorum Apoſtoli plerumque uſi ſunt voce *Eccleſiæ* (congregationis populi, ſtylo Judaico.) Eandémque uſurpárat antea Chriſtus, cùm ſe ait ſuam *Eccleſiam* ædificaturum in confeſſionem à Petro factam, nempe quòd eſſet *Meſſiah, Filius Dei viventis, Mat.* xvi. 16, 17, 18.

Diximus autem hanc, ſive Sectam ſive Eccleſiam, non fortuitò & inopinatò emerſiſſe, ſed præſtituto conſilio & apparatu. Et in eum finem Chriſtus duodecim, ut notum eſt, elegit Apoſtolos, in primo ſtatim Miniſterii ſui exordio. Quos ſibi peculiariter aſcitos & aſſociatos, pleniùs inſtruxit & informavit, ut idonei eſſent quos poſtea ad Evangelium in toto orbe prædicandum emitteret & allegaret. Quin & alios ſeptuaginta Diſcipulos in Civitates Judææ miſit binos & binos, donis plus quàm ordinariis inſtructos, ut viam pararent & aperirent ad regnum cœlorum, *Luc.* x. Dein poſt ſuam reſurrectionem Chriſtus, jamjam abiturus, ſupremis verbis ita locutus eſt Apoſtolis, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ: profectì ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritûs Sancti: docentes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis: Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, Amen.* Denique poſt ſuam Aſcenſionem, effuſione Spiritûs Sancti, quem antea promiſerat, eoſdem Apoſtolos in ſuis muneribus obeundis confirmavit & corroboravit, ut

Mat. iv. 18, 19, &c. x. xxviii. 19. Joh. xvii. 18.

Mat. xxviii. 18, 19, 20. Joh. xx. 21. & xxi. 15. 16, 17.

ut eſſent teſtes & præcones ipſius operum & doctrinæ, non tantùm *Hieroſolymis, & in* Act. i. 8. *totâ Judeâ & Samariâ, ſed ad extremas partes Terræ.* Utque ſuæ potiſſimùm Reſurrecti- v. 22. onis à mortuis fidem omnibus facerent.

Nec ſucceſſu caruerunt Apoſtolorum in prædicatione Evangelii labores & vigiliæ, quin uberes lætóſque tulere fructus, & Eccleſiæ quotidie addebantur, qui fidem Chriſtianam amplexi, ſalvi fierent, ut in eorundem Apoſtolorum Actis memoratum legimus. Quum verò multitudo hominum nec contineri poſſit ſinè aliquo regimine, nec in diſciplinâ quâvis inſtitui ſinè doctoribus, horum utriuſque cura incubuit primùm Apoſtolis. Illi autem, cùm ſcirent, exacto vitæ curriculo, ſibi ex his terris abeundum eſſe: & durante vitâ non uno ſubſiſtendum in loco, civitate, aut regione, cùm, quà patebat Orbis, diſſeminandum eſſet Jeſu nomen & Evangelium: Iſtis in locis ubi plures ad fidem converterant, conſtituerunt alios (Ἐπισκόπους dictos) qui vices eorum gere- Act. xiv. 23. rent, & utroque munere tam docendi quàm regendi fungerentur. Hi denuo Epiſcopi, 1 Theſſ. v. 12. ab Apoſtolis deſignati, & cæteris præfecti, Heb. xiii. 17. alios deinceps conſtituere, *Tit.* i. 5. ad promulgandum nomen & doctrinam Chriſti, ſui Magiſtri & Ἀρχιποίμενος, novúmque in cultu divino ordinem & œconomiam ſtabiliendum. Denique, continuatâ ſerie hic Ordo, hæc Hierarchia, per diverſos gradus, officia, miniſteria interſtinctus & abſolutus, fidem Chriſtianam propagabit uſque, & ad mundi finem ſub auſpiciis Chriſti conſervabit,

Digitized by Google

vabit, *Epheſ*. iv. 11, 12, 13. *Mat*. xxviii. 19. 1 *Cor*. xi. 26.

Sic è parvo ſemine crevit Eccleſia Chriſtiana, in arborem, in ſylvam: quæ etiamnum viget, & magnam terrarum partem obumbrat. Rami ſunt Eccleſiæ particulares, majores aut minores, quæ ſimul in trunco unitæ Eccleſiam univerſalem ſeu Catholicam conſtituunt. Miremur interea vim divinam hujuſce ſeminis, Chriſtianæ religionis intelligo progreſſum & incrementa: quæ ab initiis exiguis, urbes, regiones, imperia ſibi ſubjugavit. Non armis aut armatorum turmis, ut olim invaluere Monarchiæ celebres, & Lex Mahometis: ſed à plebeis & piſcatoribus promulgata doctrina, & per miracula cœlitus confirmata, flexit in aſſenſum & obſequium genus humanum: Renitentibus interea tam Judæis quàm Gentibus, Imperatoribus diu perſequentibus, & obluctante Diabolo, furiiſque infernis. Sed progrediamur.

De Doctrinâ, Regimine, & Diſciplinâ hujuſce Eccleſiæ Chriſtianæ prætere dicendum. Sed de primâ parte, doctrinâ Chriſtianâ, dictum eſt in precedentibus, *cap*. 8. & 9. Ad Regimen quod ſpectat, nullam inſtituit Chriſtus formam ſingularem regiminis in Eccleſiâ: Sed eam conſtituiſſe videntur Apoſtoli, quam Epiſcopi cum ſuo presbyterio exercent, à primoribus Eccleſiæ ſæculis introductam. Neque tamen ullam formam particularem regiminis Eccleſiaſtici ita definitè & immutabiliter ab Apoſtolis

poſtolis conſtitutam exiſtimo, ut non liceat illam ob bonum publicum immutare, aut exercere aliam, cùm id exigit ratio maniſeſta aut neceſſitas. Varii modi & formæ adminiſtrandi, ſive res Sacras ſive Civiles, non ſunt ipſe finis & ultima linea rerum, ſed media ſunt ad finem: ad pacem ſcilicet, pietatem & virtutem aſſequenda. Quodcunque ad hanc metam collimat, rectiùs & rariùs aberrat, optimum id eſto utrobivis imperium, ſive ab uno, ſive à pluribus exerceatur. Sed forma regiminis Eccleſiaſtici accommodatur plerumque ad ſtatum Imperii aut Reipublicæ, ut eò meliùs coaleſcant, & ſuâ quaſi cognatione arctiorem ineant amicitiam: ſeſe ſuffulciant, corroborent, juvéntque mutuâ ope & authoritate in commodis & ſalute populi ſibi commiſſi procurandis & promovendis, Ut *vitam degamus* (quod utriuſque ſcopus eſt) *tranquillam & quietam, cum omni pietate ac honeſtate.*

Ad regimen & præfecturam Eccleſiæ ſpectat, ut ſuprà innuimus, ordinatio miniſtrorum in ſacris, ſive conſecratio. Quum Sacerdotium Chriſtianum non ſit hæreditarium, nec affixum huic aut illi familiæ aut tribui, ut apud Judæos; neque tamen conveniat, ut quiſque pro impetu animi ſui & arbitrio, Rectoris aut Doctoris publici in Eccleſiâ officium & authoritatem ſibi aſſumat, ne ſpretis legibus decori oriatur confuſio: Hæc facultas illis conceditur, qui, præmiſſo examine, præpoſitis Eccleſiæ maximè idonei videbuntur ad tantum munus ſuſcipiendum; id Chriſtus dedit Apoſtolis,

Digitized by Google

Apoſtoli ſuis ſucceſſoribus, atque alii deinceps aliis. Æquum eſt etiam & rationi conſentaneum, ut hôc modo approbati, ſolenni aliquo ritu in novum illum ordinem &
Mat. iii. 16, 17. miniſterium cooptentur. Chriſtus inauguratus eſt ad munus ſuum obeundum deſ-
Act. x. 38. cenſu Spiritûs Sancti, formâ viſibili, omnis
Joh. xx. 22. unctionis ſacerdotalis complemento. Apo-
Act. ii. 2. ſtoli conſecrati ſunt à Chriſto, afflatu aut
1 Tim. iv. 14. anhelitu: & poſtea delapſu Spiritûs Sancti ſub ſpecie lingularum ignearum. Apoſtoli
2 Tim. i. 6. autem conſecrârunt alios ad hoc ſacrum
Act. xiii. 3. munus, impoſitione manuum, ut olim à *Moſe* factum eſt, *Num.* xxvii. 18, 19, 20. *Deut.* xxxiv. 9. Idémque mos, adhibitis precibus, etiamnum obtinet in Eccleſiâ: Hic eſt ordo receptus & laudatus: quod ſi verò, pro mutabili & incerto rerum humanarum ſtatu, in hôc aut illo caſu, obſervari nequeant hæ regulæ, cedendum eſt neceſſitati, quæ omnem legem ſuperat: atque iis utendum modis & mediis, quibus quàm proximè finis præcipuus inſtitutionis Chriſtianæ attingi poterit. Electiones, ut & modus diſciplinæ in nonnullis, ab initio erant magìs populares: quæ ſenſim, ad vitandam confuſionem, ad præpoſitos Eccleſiæ ſunt devoluta.

Spectat etiam ad hoc regimen jus conſcribendi canones & conſtitutiones de rebus Eccleſiaſticis: Et inſtituendi ritus ſacros in adiaphoris. Hæc autem jura nec eadem ſunt, nec æqualia, in ſingulis Eccleſiis: ſed pro diverſâ Regni aut Reipublicæ conſtitutione ſuos habent limites. Solet hîc agitari quæ-

Digitized by Google

quæſtio de poteſtate convocandi Synodos & conventus Eccleſiaſticos: utrùm ea ſpectet ad Magiſtratum Civilem vel ad præpoſitos Eccleſiæ. Manifeſtum eſt, in primævis Eccleſiæ ſæculis ſub imperio Ethnico hanc poteſtatem exercuiſſe Eccleſiarum præſides: mutato autem Imperio in Chriſtianum, eandem exercuiſſe Imperatores & Reges. Quæritur quâ ratione tranſierit hoc jus à ſacrâ ad ſæcularem poteſtatem? Non pacto aliquo explicito, aut cujuſvis Concilii generalis conceſſione: ſed, opinor tacito Eccleſiæ conſenſu, ad conſervandam pacem & concordiam inter utrumque ſtatum. Et vix aliter quidem evenire potuit in hôc rerum exitu & novâ facie. Pendebant à Principibus aditus omnes & promotiones ad dignitates & divitias Eccleſiaſticas, & penès eoſdem erat vis coërciva: proinde ut affectus humani ſuasêre hunc concentum, ita etiam pacis ſtudium, ne duæ poteſtates Legiſlativæ ſibi invicem obluctarentur: aut mali Cives viderentur aut mali ſubditi Clerus Chriſtianus. Interea, ſiquid juſſerint ſtatuerintve Principes, quod in perniciem aut corruptelam inſignem religionis Chriſtianæ ceſſurum eſt, non deſerenda eſt cauſa, ſed conveniendum pacificè & deliberandum de ſalute religionis Chriſtianæ, etiam injuſſu Magiſtratûs. In extremâ enim neceſſitate jus primævum reviviſcit.

Huc etiam referri diximus ordinationem rituum ſacrorum in rebus aliàs adiaphoris. Sed ritus illi adſcriptitii, pauci ſint oportet & modeſti: Pauci, ne exterioribus nimis

occupati, ad ſanctitatem internam animum minus intendamus: Modeſti etiam, ne faſtidium pariant, aut ſuperſtitionis fiant ſemina. Denique, ad hoc caput Regiminis revocari poteſt jus *Ligandi & Solvendi*, retinendi & remittendi peccata. Sed hæc commodiùs referuntur ad Diſciplinam Eccleſiaſticam & Cenſuras, de quibus jam nonnulla ſunt dicenda.

Poteſtas puniendi & à pœnis exolvendi pertinet aliquatenus ad omne genus regiminis: ſed alio atque alio modo, & pœnarum genere. Nihil eſt Eccleſiæ cum pœnis corporalibus, ſed æquum eſſe videtur, ut penès ſit rectores & præpoſitos Eccleſiæ ſacris peragundis aut participandis interdicere, quoad fieri poteſt, aut à ſuo cœtu amovere viros nefarios & profanos. Abſque hâc diſciplinâ, his pœnis, conſervari nequit Pietatis honos, aut morum puritas. Ac proinde qui hôc modo interdicti aut amoti fuerint ſecundùm leges receptas, latam ſententiam ferre debent pacificè atque æquo animo: remiſsâ
Heb. xiii. 17. causâ, ſiquid iniqui ſe paſſos crediderint, ad ſupremum Dei judicium, ἀπροσωπόληπτον & infallibile. Neque minùs penès eſt eoſdem præpoſitos, vinctos his cenſuris, cùm illis viſum fuerit, liberare & abſolvere.

Sed eſt aliud genus abſolutionis Eccleſiaſticæ, de quâ multo difficilior habetur quæſtio: De remittendis ſcilicet peccatis per ſententiam ſacerdotis confeſſarii. Receptum eſt à pluribus, Miniſtros Evangelii, confitentes & pœnitentes abſolvere poſſe à peccatis,

Digitized by Google

catis, ídque efficaciter: ut remiſſa ſint in cœlis, quæcunque debito modo remiſerint in terris ſacerdotes. Eámque abſolutionem ſacerdotalem ſi neglexerint pœnitentes, id iis periculoſum fore, ſi non funeſtum. Hæc cautè intelligenda ſunt, ne in errores incidamus. Conſtat primò non eſſe penès ſacerdotem aut hominum quempiam, ſuâ authoritate peccata remittere: Neque remiſſionem efficacem pendere à conditionibus externis quibuſcunque, ſed à verâ pœnitentiâ. Quæ ſi adfuerit, remittentur peccata, ſive ſacerdos abſolvat peccatorem, ſive non. Et ſi non adſit, quicquid dixerit fecerítve ſacerdos, manent irremiſſa. Proinde aut fruſtranea videtur, aut ſuperflua abſolutio ſacerdotalis. Versùs impœnitentem eſt fruſtranea, & verè pœnitentem versùs eſt ſuperflua & ſupervacanea. Quapropter conſultius eſſet, ut mihi videtur, ab his abſtinere formulis abſolutionis, quæ ſpem fallacem, fiduciam inanem, & conſolationem deluſoriam animis hominum ſæpe ingenerant. Nonnunquam etiam populus, prævisô hôc remedio, licentiam peccandi ſibi faciliùs indulgent. Id licet autem expedítque, pœnitentibus exponere promiſſa Dei de remiſſione peccatorum verè contritis. Et ſi fortè crimen aliquod ſecretum ad levandam conſcientiam liberè confeſſi fuerint, laborantibus ſuccurrendum eſt charitate, conſilio & prudentiâ Chriſtianâ, ut de miſericordiâ Dei non deſperent. Denique, ſi quis æger, animo aut corpore, requiſierit hanc abſolutionem, veluti quoddam anodynum, præmiſſâ pœnitentiâ non eſt illa deneganda. Valeat ad ſuam con-

Ezek. xviii. 22. & xxxiii. 14,15,16. Luc. xv. 18,19,&c.

Digitized by Google

conſolationem quantum valere poteſt, per modum declarationis benignitatis divinæ erga peccatores pœnitentes, & abſolutionis hypotheticæ. Abſolutio autem judiciaria ſacerdotis ſi penitus ablata eſſet (præter illam quæ in reſtituendis excommunicatis exerceetur) id quidem nihil obfuturum exiſtimo religioni Chriſtianæ. *Hieron.* in *Mat.* xvi. ad illa verba, *Dabo tibi claves.* Hunc locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur: cùm apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur.

At inquies, Chriſtus dedit ſuis Apoſtolis hanc poteſtatem ſolvendi & ligandi, remittendi aut retinendi peccata: ut patet ex dictis ad Petrum, *Mat.* xvi. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quicquid ligaveris in terrâ, erit ligatum in cœlis: & quicquid ſolveris in terrâ, erit ſolutum in cœlis.* Dein ex dicto Chriſti poſt ſuam reſurrectionem ad omnes Apoſtolos, *Joh.* xx. 23. *Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.* Addunt nonnulli locum tertium, *Mat.* xviii. 15, 16, 17. Sed de privatorum litibus aut injuriis illìc agitur, iiſq; componendis: ut repetitis admonitionibus injurioſus ad ſanam mentem reducatur, & qui injuriam paſſus eſt ſe officium ſuum explêſſe demonſtret. Non temere adeundum erit forum Chriſtianis, *Mat.* v. 25, 40. Nec certandum coram judice infideli, 1 *Cor.* vi. Si quis è Fratribus, inquit Chriſtus, in-

injuriam tibi inferet, admone eum amicè & privatim. Dein, ſi minùs profeceris, coram teſtibus: denique ſi obſtinaverit, coram Eccleſiâ aut publico conventu. Quod ſi neque juſtitiæ neque pudoris eum tangat ratio, poſt ultimum tentamen, fuge iſtum hominem tanquam Ethnicum aut alienum, & Dei judicio relinque. Sed de cauſis aut cenſuris deliĉtiſve in Eccleſiam commiſſis, quantum video, nihil hìc agitur. Sed pergamus ad reliqua duo loca.

Hæc loca præfata primò, ſi libet, in genere: dein ſeorſim expendemus. Dico primùm in genere; nullum oportet ſenſum huic aut illi loco, nullam interpretationem affingere, quæ rationi claræ, atq; aliis ſacræ Scripturæ locis repugnet. Quæro igitur, (ut ſuprà diximus) num de pœnitentium vel impœnitentium peccatis hæc velis exponenda? ſi de verè pœnitentibus, lites non movemus, eorum peccata in cœlis ſunt remiſſa. Sin de impœnitentibus aut hypocritis: fruſtra pronuncias, *Abſolvo te*. Nec Deus eorum peccata remittet, nec, Deo invito, penès eſt hominum quemcunque ea remittere. Hoc diĉtat ratio naturalis, hoc confirmat Scriptura Sacra, quum ubique prædicet pœnitentiam, ut conditionem ſalutis Evangelicæ & remiſſionis peccatorum neceſſariam, *Mat.* iii. 7, 8, &c. *Luc.* iii. 3. & xxiv. 47. *Act.* iii. 19. & v. 31. & xi. 18. 2 *Pet.* iii. 9.

His præmiſſis, Quid de uſu clavium dicendum ſit, & de illâ phraſeologiâ *ligandi & ſolvendi*, quâ uſus eſt Chriſtus, paucis examine-

minemus. Non occurrit aliàs, quod ſciam, in ſacris literis hæc dictio, ſed in ſcriptis Talmudicis ſæpiſſime, ut à viris doctis oſtenſum eſt: unde apparet eſſe locutionem Judaicam. Notat autem, apud illos Doctores Rabbinicos, poteſtatem, aut uſum & formulam explicandi quid licitum aut illicitum ſit, ſecundùm eorum Legem. Proinde Interpretes qui ab hàc origine deducunt dictum Chriſti, non niſi parem ei vim & ſignificationem attribuunt: nempe quòd his verbis Chriſtus dederit Petro, & ſub ipſius nomine cæteris Apoſtolis, authoritatem & officium explicandi, tam Gentibus quàm Judæis, quid licitum, quid non licitum ſit ſecundùm Legem Chriſti, aut in novâ lege Evangelii: atque eo modo aperiendi, quaſi clavi, regnum cœlorum, aut
Mat. januam regni: Ita conſtituti ſunt Apoſtoli,
xxviii. 19. abeunte Chriſto, Legiſlatores Vicarii, aut
20. ipſius Legis interpretes authentici, morum
Joh. xx. & doctrinæ Cenſores infallibiles: ut ex ore
21. ipſorum, documentis, decretis, ſententiis, addiſcerent Chriſtiani Proſelyti, quatenus abolita fuerit Lex *Moſis*, quatenus obſervanda, aut pro tempore mitiganda: quatenus etiam fugiendi ritus Gentiles. De his rebus ſæpius incidebant quæſtiones ſub initio Evangelii ab Apoſtolis reſolvendæ: ut ex Actis Apoſtolorum & Epiſtolis manifeſtum eſt, *Act.* x. 13, 14, 15. & xv. 20. & xxi. 24. *Gal.* ii. 14. De Circumciſione, de Idolothytis, de Diebus feſtis, aliiſque ſimilibus: quæ adhæſerunt aliquatenus Chriſtianis Judaizantibus, aut Gentilibus neophytis, ritibus ſuis antiquis nondum penitus

Digitized by Google

nitus excuſſis. Non conſulendi ſunt in poſterum Scribæ aut Doctores Rabbinici; ab ore veſtro, authoritate & definitionibus, inquit Chriſtus, pendebit regula licitorum & illicitorum; & in his definiendis ſæpius & diutius verſati ſunt Apoſtoli, ut ex eorum ſcriptis patet. Neque facilè mihi perſuadeo Chriſtum hîc uſum eſſe phraſeologiâ penitus novâ, nec apud gentes nec Judæos * receptâ, quamque ideo non intellecturi eſſent, ad quos allocutus eſt, ſui Diſcipuli primarii. Vid. Mat. xxiii. 4. & 13. & Luc. xi. 46, 52.

Ad locum ſecundum quod ſpectat, *Joh.* xx. 23. de remittendis aut retinendis peccatis hîc clarior fit mentio. De quâ re, ſi rata habeantur quæ ſuperiùs dicta ſunt, eorum interpretationem oportebit ſequi, qui hanc poteſtatem Apoſtolis ſolummodo conceſſam ſtatunt: utpote qui errare non poterant in diſcernendis ſpiritibus hominum, verâque & fictâ pœnitentiâ dijudicandis. Verba quæ præcedunt in textu ad hunc ſenſum collimare videntur, V. 22. *Cùm hæc dixiſſet Apoſtolis Chriſtus, afflavit eos, & dixit iis, accipite Spiritum Sanctum. Si quorum remiſeritis peccata,* &c. Ita cohærent verba; nec dubitandum eſſe cenſeo, majorem Apoſtolis in hâc re, ut in aliis multis, conceſſam eſſe potentiam & authoritatem, quàm hodiernis Evangelii miniſtris quibuſcunque. Qui

* *Mos erat apud Hebræos, cùm alicui poteſtas dabatur, Legem & Prophetas interpretandi clave datâ, quaſi in poſſeſſionem muneris mittere.* Grot. ad Luc. xi. 52.

Digitized by Google

corda hominum inſpicere, ſanare ægrotos ſolo verbo, aut tactu, aut umbrà potuere, & reſuſcitare mortuos, nihil miror in remittendis peccatis authoritatem ſingularem eos exercuiſſe. Quum Chriſtus ſanavit Paralyticum, dixítque timido, *Confide Fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua*, Scribæ & Phariſæi obmurmurabant, dicentes, *Quis eſt iſte, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus?* Quibus ita reſpondit Chriſtus, *Utrum eſt facilius, dicere, remiſſa ſunt tibi peccata: aut dicere, ſurge & ambula? Ut autem ſciatis Filium hominis authoritatem habere in terrâ remittendi peccata, ait Paralytico, tibi dico, ſurge, & ſublato lectulo tuo, abi domum tuam; is autem illico ſurgens in conſpectu eorum, ſublato in quo jacuerat lectulo, abiit domum ſuam, glorificans Deum.* Tu, qui jam remittis peccata, fac ſimiliter: præmiſſis miraculis aut ſubſequentibus, Chriſtum & Apoſtolos imitare, & fidem adhibebimus. Sin minùs id poteris, memento, nihil temere tentandum in rebus ſacris. Quemadmodum Chriſtus poteſtatem habuit ſuperiorem Apoſtolicâ, ita nec Apoſtolis æquantur eorum ſucceſſores: neque pari vi defluxere ad poſteros primorum jura & privilegia. Gradatim deſcenditur ad ſtatum fixum, in quo tandem requieſcere oportet, niſi forſan reviviſcant miracula.

Mat. ix. Luc. v.

Sed in præfatis Chriſti verbis ad Apoſtolos duo mihi contineri videntur: Primum eſt generale, atque omnibus Evangelii miniſtris unà cum Apoſtolis commune, nimirum ut prædicent verbum *Reconciliationis*

&

Digitized by Google

& Remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti. Ita S. *Paulus* ipſum Evangelium appellat *verbum reconciliationis*, vel *miniſterium reconciliationis:* quo ſcilicet homines Deo, remiſſis peccatis per Chriſtum, reconciliantur: ſed nullâ factâ mentione abſolutionis privatæ, 2 *Cor.* v. 18, 19, 20. Pariter apud S. *Lucam* verba Chriſti in cœlum migraturi, ad Apoſtolos habita, hôc modo leguntur, *Dixit iis, ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati, & reſurgere ex mortuis tertio die, & prædicari ejus nomine reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum apud omnes gentes, incipiendo ab urbe Hieroſolymorum, Luc.* xxiv. 46, 47. Hæc declaratio remiſſionis peccatorum per Chriſtum eſt officium commune omnium Evangelii præconum: atque hoc proculdubio in verbis Chriſti includitur. Sed eſt aliud præterea, ut mihi videtur, Apoſtolis peculiare, atque iis qui dono διακρίσεως πνευμάτων pollebant, ſcilicet authoritativa poteſtas remittendi peccata in hôc aut illo homine, prout illis innoteſceret animi ipſius ſtatus interior, verúſque erga Deum affectus.

Rem paucis dicamus. Data eſt aliquibus in Eccleſiâ miniſtris poteſtas remittendi peccata: Quibus data ſit, quæritur? An Apoſtolis tantùm, vel pari jure eorum in Eccleſiâ ſucceſſoribus, continuatâ ſerie ad hodierna uſque ſæcula: Nos in eâ ſumus ſententiâ, poteſtatem illam, quatenus eſt judiciaria & authentica, Apoſtolis tantùm conceſſam eſſe: neque exerceri poſſe hodie à quibuſcunque Eccleſiæ miniſtris. Facultas *diſcernendi Spiritus*,

Digitized by Google

ritus, & efficiendi miracula hanc authoritatem comitabatur & confirmabat: His deinde chariſmatis ſubductis vel intermiſſis, unà deſiit illa poteſtas, ſuis nimirum indicibus, authoritate & effectu viduata, ut in unctione ægrotorum factum eſt. Interea, manet & manebit uſque poteſtas altera, prædicandi verbum reconciliationis paciſque pœnitentibus. Denique utramque poteſtatem complecti mihi videtur præmemoratus ſermo Chriſti ad Apoſtolos, pro ratione temporum & perſonarum tranſeuntem aut permanentem.

Hæc de remittendis peccatis dicta ſunto: Quid autem ſit *retinere peccata* minus clarè patet, niſi hoc pariter ad Apoſtolos reſtrinxeris. Si hanc *retentionem* ita intelligas, ut nullius remittantur peccata qui non petit abſolutionem à ſacerdote aliquo, certè ad inferos detrudendi erunt multi pii probíque. Sin potiùs ad pœnas & cenſuras Eccleſiaſticas utramque partem, tam remiſſionem quàm retentionem, referendam duxeris, non recuſo. Earum proinde Cenſurarum hìc paulìſper, inſpicienda eſt vis & ratio.

Eccleſiæ cenſuris obnoxii ſunt Flagitioſi, Schiſmatici, Hæretici: dein lapſi aut relapſi pœnitentes, & denique contumaces. Adverſùs Flagitioſos utinam ſeverior eſſet & magìs aculeata Eccleſiæ diſciplina, aut animoſiùs exercita quàm cernere eſt hodie. In reprimendis opinionibus, quæ diſſentiunt à doctrinà Eccleſiæ, alacres ſunt atque acres ſacrorum antiſtites, ac ſi

in

Digitized by Google

in his verteretur cardo religionis: ſed ad mores caſtigandos & pietatem tuendam potiſſimùm inſtituta eſt Diſciplina Eccleſiaſtica, tam apud Judæos quàm Chriſtianos. Idololatriam, homicidium, adulterium, & his cognata crimina, pœnæ & infamiæ metu coërcere, curæ erat veteribus: & in extirpandis vitiis, omnium malorum radicibus, primam impendebant operam. Quibus utpote expulſis, parum metuenda eſſet in cæteris opinionum diverſitas. Denique, qui propter ſcelera & flagitia rite admoniti tandem è communitate Chriſtianâ ejecti fuere, ſinè reditu aut animo redeundi, pro deſertis, derelictis, & tantùm non deſperatis habiti ſunt. Et eorum peccata *retineri* aut retenta non immeritò dici poſſunt.

Schiſmatici habentur vulgò, qui ſe ultro ſeparant à communione Eccleſiæ, & ſeorſim à publico conventu, apertè aut furtim conventicula celebrant. Hoc à factione malà ſæpius oritur, nonnunquam ab imbecillitate, aliquando etiam à cauſis non injuſtis: ut ab Eccleſiis reformatis factum eſt, cùm à Pontificiis receſsère. Quærendum idcirco, quid ſit quod ſchiſma vel ſeparationem faciat illicitam & criminoſam. Ut diſceſſio ab imperio Principis dici ſolet Rebellio, ita diſceſſio ab Eccleſià nomen habet Schiſmatis: Sed culpa quandoque eſt ex parte Principis, aut ex parte Eccleſiæ, ſiquando cauſas præbeant graves & vehementes rumpendi vincula mutuorum officiorum & communionis. Multa utique, permulta pati oportet tam à Principe, quàm Eccleſià, æquo animo, ob

pacis

pacis ſtudium: (Hoc virum Chriſtianum decet, hoc bonum Civem) neque levitate animi, aut innovandi pruritu, neque ſpe lucri, aut affectibus privatis quibuſcunque abduci aut avelli à communi ſocietate & obſequio. Mala etiam publica nonnulla ſunt diſſimulanda, excuſanda alia, alia denique pro viribus ferenda. Sed diſtinguendum eſt, ne prorſus obſtupeſcere videamur, inter mala tolerabilia & intolerabilia. Cùm eò excreverint onera & gravamina, ut ferri ultrà non poſſint, ab oppreſſis humeris ſunt excutienda. Et quoad Eccleſiam (de quâ hìc agitur præcipuè) qui fundamenta religionis evertunt, qui Idololatriam aut fœdam Superſtitionem in Dei cultum invehunt, qui abſurda & repugnantia humanis ſenſibus pro articulis fidei Chriſtianæ obtrudunt, næ illi ſunt verè ſchiſmatici, atque omnibus cenſuris digni. Alteri autem qui ſeſe retrahunt ab hâc communione, non aliter faciunt quàm qui à contagioſis aut peſtiferis fugiunt. Pendet itaque, ut vides, à rationum momentis definiendum, tam qui dicendi ſint Schiſmatici, quàm quibus cenſuris onerandi. Ad Hæreticos progredimur.

De vel. Virg. c. 1. princ. Quodcunque *adverſùs veritatem ſapit*, inquit Tertullianus, *erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo.* Antiquitas non mutat verum in falſum nec è contra. *Nec hæreſes tam novitas quàm veritas revincit*, ut idem loquitur. Hoc omnes, opinor, agnoſcunt: Sed quâ regulâ, quo indice, quid verum, quid falſum, dignoſcemus? Imprimis ratio clara & evidens eſt index univerſalis. Huic quæcunque repugnant,

Digitized by Google

nant, pro veris haberi nequeunt, nec pro Sacræ Scripturæ ſenſu, aut fidei Chriſtianæ dogmatis. Tollis omne diſcrimen veri & falſi, ſi facultatem dijudicatricem tollas. Dein rationi naturali Sacræ Literæ nuſpiam contradicunt, & quod ab his duobus teſtibus confirmatum eſt, quicquid dicat faciàtve Eccleſia regnatrix, extra crimen hæreſeos id conſtituitur; nec tantùm innoxium eſt, ſed pro purâ veritate Evangelicâ firmiter eſt retinendum. Interea ſuus debetur honos Antiquitati, ſuus Patribus, ſuus Conciliis Eccleſiaſticis: ſed omnes omnium vires, fidem, authoritatem unà complectitur * Scriptura Sacra.

Præterea, Symbolum Apoſtolicum haberi ſolet κριτήριον & quaſi teſſera ὀρθοδοξίας, *rectæ de doctrinâ Chriſtianâ ſententiæ*, ſpectatæ & probatæ fidei. Ita *Tertullianus* loco præmemorato, *Regula quidem fidei*, inquit, *una eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem. Hâc lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque ad finem gratiâ Dei.* In his conſiſtamus immobiles: De veland Virg. c. 1.

* Cyprian Epiſt. 63. *Hic eſt filius meus dilectiſſimus, in quo bene ſenſi, ipſum audite.* Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit; ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem. *Hoc non minùs in Theoreticis quam practicis verum eſt.* Vide S. Auguſtin. contra Max. Arrian. & de Unit. Eccleſiæ c. 3. contra Donatiſt. & 18. & 8. Epiſtol. Citat. ab Hooker. p. 119, 120.

qui

Digitized by Google

qui verò multiplicant auctitántque dogmata ad fidem & ſalutem (ſecundùm eos) neceſſaria, ut laqueos tendunt ad irretiendos infirmos, ita materiam ansámque præbent cavillantibus, & dilacerandi Eccleſiam per ſchiſmata & ſeceſſiones occaſionem.

Hæreſis, quatenus diſtinguitur à ſchiſmate, eſt affectus animi, ut ita dicam, incognoſcibilis: prætèr ſoli Deo, aut hominibus à Deo inſpiratis. Non definitur in ſacris literis, & prout ſolet definiri, ſemper includit aliquod voluntatis vitium: Quod nos latet intus reconditum, niſi forſan ſe prodat motibus pravis aut ſeditioſis, vel dogmata ſpargant Hæreſiarchæ quæ eò tendant manifeſtó. Si planè fanatici ſunt, mihi videntur, amandandi ad hoſpitia inſanorum, donec deferbuerit & ſeſe deſpumaverit iſte æſtus ſanguinis, & ad ſanam mentem redierint. Præterea, diſtinguendum eſt inter authoritatem Apoſtolicam & hodiernam in cenſuris infligendis. Ab Anathematis abſtinendum eſt hodie, ut mihi videtur, cùm ad poteſtatem infallibilem id ſpectet. Ne ſæviant tantopere, credántve cenſores Eccleſiaſtici ſe detrudere poſſe ad Tartara quos petunt ſuis fulminibus, nec ab Eccleſiæ Catholicæ communione internâ, & connexione cum Chriſto capite ſejungere, modò ſic perculſi ex mero amore Dei & veritatis ſuis
Act. v. 5. ſententiis adhæreant, *Act.* iv. 19. 1 *Cor.* ix.
& xiii. 11. & 1 Cor. v. 5. 16. Apoſtoli cenſuris & increpationibus ſuis, non animos ſolùm, ſed etiam corpora
1 Tim. i. 20. ferire potuerunt, morbis efficere aut etiam morte, & Satanæ vexandos tradere quos devoverant.

Digitized by Google

voverant. Et per hæc effecta vim dedere manifeſtam latæ ſententiæ, cùm verò nihil efficit ſententia, quid aliud eſt Anathemata ſpargere quàm in vacuum aerem vibrare * bruta fulmina? ſed pergamus in propoſito.

Succedunt conſiderandæ *Lapſorum pœnitentium* caſtigationes; quas quidem non promptum eſt definire diſtrictè. Non enim deſcribuntur jure aliquo divino, ſed pendent à prudentiâ Chriſtianâ & à conſtitutionibus Eccleſiæ, quæ pro ratione locorum & temporum ſunt mutabiles. Dum ſtetit Eccleſia à Magiſtratu ſeparata, utpote Ethnico; nec ullas aliunde ſuppetias accerſere potuit; cavendum ſibi duxit legibus ſeveris in Lapſos & relapſos, quò magis terrorem incuteret Apoſtatis, aliiſve qui à fide aut moribus Chriſtianis deſciverant. Pœnitentium publicorum *Exomologeſis*, qualis fuerit apud An-

* Conſtitut. dict. Apoſtol. l. 2. c. 21. Δίκαιος γὰρ ἀδίκως φονευθεὶς ὑπό τινος, παρὰ Θεῷ ἐν ἀναπαύσει ἔσται εἰς τὸν αἰῶνα· ὡσαύτως καὶ ὁ ματαίως ἀφορισθεὶς ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου. *Juſtus quippe injuſtè à quoquam occiſus, apud Deum requieſcet in æternum. Et ſimili modo qui ab Epiſcopo perperàm fuerit excommunicatu*. Dein alterum dictum, ἡ κατάρα ἐπιστρέψει εἰς κεφαλὴν τοῦ ἀδίκως αὐτὴν ἐκπέμψαντος, *Revertetur maledictio in ipſius caput qui eam injuſtè emiſit*. Auguſtinus de verâ relig. c. 6. hæc habet: *Sæpe ſinit divina providentia, per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum ſeditiones, expelli de congregatione Chriſtianâ etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam cum patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines quàm vero affectu & quantâ ſinceritate charitatis Deo ſerviendum ſit.*

tiquos, & quo rigore & diuturnitate pœnarum exercita, notum eſt ex Tertulliano, Cypriano, aliiſque. Sed alia eſt hodie rerum facies & ſtatus Eccleſiæ. Quouſque revocari debeat quæ jam exolevit, quo modo & formâ exercenda ſit hæc diſciplina, magni conſilii res eſt. Cavendum ne tyrannidem affectare videamur in ſontes & pœnitentes: Nec Chriſtianos à peccato magis, quàm à pœnitentiâ, commiſſo peccato, deterreamus. Ex utrâque parte opus eſt prudentiâ, tam in ſanandis vulneribus quàm in præcavendis. Sed ablatâ culpâ verè & ſolidè, unà tollitur pœna: nec fictitiis indulgentiis, aut fictitio Purgatorio, crimen aut pœna criminis eluitur.

Denique quod ſpectat ad *Contumaces*, ita dicuntur ii qui legitimè in jus vocati non comparent: vel latæ ſententiæ non obtemperant, cùm ad juriſdictionem ejus, cui negant obſequi, pertinent. Vides hæc involvere jura humana, quæſtiones & diſceptationes fori, quæ non ſunt hujus loci. Decet utique virum Chriſtianum in omnibus pacificè & modeſtè ſe gerere, ſive in causâ defendendâ, ſive in pœnis ſubeundis. Ita tamen ut nemini non liceat, privilegia ſibi per leges indulta conſervare. Nec minùs iniqui ſunt, qui alterius invadunt jura, quàm qui non parent mandatis licitis.

Hæc breviter diximus de regimine & diſciplinâ Eccleſiæ; in quibus exercendis probatur & ſpectatur maximè prudentia eorum qui rebus divinis præſident. Nobis enim

Digitized by Google

enim in religione Chriſtianâ non præſcripta ſunt ſingula (ut olim Judæis) ad minutias uſque. Id fieri potuit commodiùs in Lege unius populi & gentis, nec perpetuò permanſurâ. In religione autem Chriſtianâ, quæ eſt omnium gentium, omnium temporum uſque ad conſummationem ſæculi, non facile eſſet unicam & inflexilem formulam præſcribere in regimine, diſciplinâ & cultûs externi ritibus. Unicam, inquam, formulam, quæ ad omnem ſtatum Evangelii, tam ineuntis quàm adulti, accommoda eſſet: Omni populo, Gentili & Judæo, Orientali, Occidentali, cæteríſque per terrarum orbem diverſæ indolis & ingenii; omni denique mundi ætati, quæ ſenſim à pueritiâ ad maturitatem provehitur. Hæc alios atque alios modos & temperamenta poſtulant, ut in ſingulis finem ultimum aſſequamur, pacem nempe, ac pietatis & virtutis incrementa. Semper retinendum & revolvendum animo dictum Apoſtolicum, *πάντα εὐσχημόνως, κατὰ τάξιν, πρὸς οἰκοδομὴν γενέσθω.* Quæ regulæ cùm generales ſint, vides multa permiſſa aut relicta judicio ſapientum & præpoſitorum Eccleſiæ: ut eorum conſiliis, ita, pro re natâ, attemperetur rerum externarum ordo & adminiſtratio, ut *Graviora Legis* Chriſtianæ ſarta tecta ſemper maneant, & evitentur offendicula quoad fieri poteſt: ſervatis ubique rationibus Honeſti & Decori. In his exterioribus diſſentiunt nonnunquam Concilia à Conciliis, Synodi à Synodis: nec immeritò, mutatâ conditione Eccleſiæ pro variis locis & tempori-

Digitized by Google

poribus; modò id ſemper in animo habeant, non ut acquiſitas ſibi opes & dominationes tueantur, ſed ut ad veræ pietatis augmentum & animarum ſalutem omnia digerant & diſponant.

Neque miremur hæc omnia non fuiſſe conſtituta ab ipſo Chriſto antequam terras deſeruit. Neque enim opportunum id fuiſſet, nondum promulgato aut invaleſcente Evangelio. Hoc Apoſtolis incubuit primò, dein ſubſequentibus Eccleſiæ præfectis, congruenter praxi & regulis Apoſtolicis. Apud Judæos quorum ſuprà meminimus, non conſtituta fuit à Moſe diſciplina Eccleſiaſtica, ſed à Synedrio poſtea, multis à Moſe ſæculis. Rectéque obſervatur à viris doctiſſimis, *Syſtema Eccleſiaſticum* in Religione Chriſtianâ plerumque imitari probata inſtituta Judæorum, Synedrii ac Synagogæ. Ut poſtea * diſtributiones Eccleſiarum & Diœceſiωn factæ ſunt plerumque ſecundùm Imperii Romani diviſiones. Præterea quanquam hæc Hierarchica non præſcripta fuerint à Chriſto verbis explicitis, fundantur tamen in ipſius doctrinâ, quatenus *Eccleſiam*, ut diximus ſuprà, fundavit & conſtituit: ac conſequenter omnia quæ ad eandem conſervandam erant neceſſària. Hoc natura rei poſtulat, jus commune ſocietatis, & regiminis ordinati ratio. Dein Apoſtoli qui procurationem ſibi commiſſam, & vicariam Chriſti poteſtatem exequebantur, Re-

* Conc. Trull. can. 38. τοῖς πολιτικοῖς καὶ &c.

gimen

gimen & diſciplinam in Eccleſiis ab ipſis plantatis exercuere: eadémque exercendi ſuis etiam poteſtatem dabant ſucceſſoribus. Non quidem omnibus eâdem vi & effectu quoad cenſuras, ſed magis minúſve prout vigerent διακρίσεις πνευμάτων. Denique in conſtitutione Eccleſiæ Chriſtianæ & ipſius œconomiâ nihil video à ratione alienum, aut aliter definitum ab Apoſtolis quàm vir prudens definiturus eſſet. In his autem adminiſtrandis, Diſtinguendum eſt ſemper inter ea quæ ſunt juris Divini, atque ea quæ juris ſunt tantùm Eccleſiaſtici, adeóque humani: quæque proinde pro locorum, temporum rerúmque circumſtantiis identidem mutari ſolent. Non rectè quidem mutantur, ut antea diximus, ob ſolam pompam lucrúmque ſacerdotii augenda, ſed ut obviàm eatur vitiis ſæculi maliſque moribus, aut etiam (quod ſæpius accidit) ſuccreſcenti ſuperſtitioni. Ut gliſcentem malitiam reprimant & religionis Chriſtianæ ſint quædam munimenta. Eo nempe conſilio, propoſito, & deſtinatione ordinanda ſunt Eccleſiaſtica, ut abſciſſis ſuperfluis & incommodis, ſuffectiſque, ſi deſiderantur, aptioribus, (ſive ſit in ritibus, ſive in diſciplinâ) ſtatus religionis externus ad ſanctitatem internam promovendam ſemper adaptetur.

His obſervatis, haud æquum eſſet hodie externa omnia ad formam Eccleſiæ Primitivæ exigere: quandoquidem pro mutato rerum ſtatu aliter atque aliter temperandum eſt Eccleſiæ regimen. Prout etiam factum vidimus in multis ritibus & inſtitu-

Digitized by Google

tis quæ jam tranſiere, quaſi immerita. In adminiſtrandis ſacramentis non paucæ ceremoniæ & conſuetudines olim receptæ jam exoleverunt. In Baptiſmo immerſio, vel trina immerſio: unctio, exufflatio & exorciſmus, mellis & lactis guſtus, & hujuſmodi alia. In formulis & verbis baptizantis, & in tempore, ſeriùs aut citiùs, baptiſmi recipiendi non minùs variatum eſt. Pariter in Euchariſtiâ omiſſa ſunt plura quæ pridem erant in uſu. Dabatur olim parvulis & infantibus Hoſtia Euchariſtica: Deferebatur domi manducanda, vel amicis præbenda periclitantibus, moribundis, & nonnunquam, ut vereor, mortuis. Pane azymo utuntur alii, alii fermentato. Hi vino mero, illi diluto, nec indignamur: Præterea Agapas colebant veteres, convivia Chriſtiana Euchariſtiæ annexa: ídque temporibus Apoſtolicis & ſubſequentibus. Dein Oſculo ſancto vel oſculo charitatis ſalutabant alii alios, finitis precibus vel peractâ Euchariſtiâ: quam quidem quotidiè celebrabant. A ſanguine & ſuffocatis abſtinentia diù obtinuit in Eccleſiâ: ídque, ut credebant, vi inſtituti Apoſtolici. Circa jejunia, eorum tempora, leges modóſque alii erant ab hodiernis moribus antiqui, & ferè inſtabiles. Abolitus eſt ordo Diaconiſſarum. Circa pœnitentiam publicam aut diſciplinam pœnitentialem plurima laxantur, commutantur, aut prorſus abiere in deſuetudinem. Denique in cultu ſolenni ordo, formulæ & modi variant inter ſe, & diverſimodè conſtituuntur: Liturgiæ, officia, & geſtus precantium: Diebus Dominicis ſtantes orabant

bant

Digitized by Google

bant olim, nos genu flectimus: atque * alia hujuſmodi conſilii res ſunt ad uſum & ædificationem ordinandæ.

Hæc ſummatim commentati ſumus de ſtatu Eccleſiæ Chriſtianæ: quæ clariora fient, ſi de ipſius conſtitutione & authoritate divinâ aut humanâ, coronidis loco pauca inſuper adjiciamus. Definiri ſolet Eccleſia Cœtus fidelium, vel fidem Chriſtianam profitentium: ídque rectè, ſed ſpecialiùs definiri poteſt ſocietas voluntaria doctrinâ ritibuſque ſacris ab aliis diſtincta, ex inſtituto Chriſti, & ſub Chriſto capite. *Voluntariam* appello, non quoad originem, & conſtitutionem primam: id enim à voluntate hominum non pendebat: ſed euſque voluntaria eſt, quatenus in hanc ſocietatem nemo cogi poſſit, nec in eàdem retineri quilibet invitus. Obedientiam liberam quærit Chriſtus, & religionis ab ipſo conſtitutæ proprium eſt, ut ſolâ veritatis vi ſibi viam faciat: nullâ vi externâ, nullâ pœnâ iſtiuſmodi adhibitâ, neque erga infideles neque inter Chriſtianos. A ſuppliciis corporalibus abſtinet, neque in aliena bona aut fortunas invadit. Hæc alterius ſunt ordi-

* *Creſcat igitur oportet, & multùm vehementèrque proficiat, tam ſingulorum quàm omnium, tam unius hominis quàm totius Eccleſiæ, ætatum & ſæculorum gradibus, intelligentia, ſcientia, & ſapientia; ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eâdémque ſententiâ.* Vincent. Liran. Common. m. p. 309. cum Salv. *Ipſa plenaria Concilia ſæpe priora à poſterioribus emendantur, quum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quo latebat,* Auguſt. l. 2. de bapt. cap. 3.

nis

nis & juriſdictionis, & ad Magiſtratum ſeorſim ſpectant. Lex Chriſtiana non conſtituta eſt eodem modo quo olim Judaica, in quâ nulla erat diſtinctio, hâc in parte, juris civilis & ſacri: Totum jus erat divinum, ut in Theocraſiâ. Hanc libertatem unius religionis Chriſtianæ propriam eſſe dixi, & prærogativam. Vi & armis utantur aliæ Sectæ, ut illa Mahometis: Alieno ſanguine madefacta creſcat & propagetur eorum religio, noſtro noſtra. Vincant illi, ut Hoſtes; nos ut amici, monitores, conſiliarii. Minis & metu mortis adigant alii ſerviles Animas in ſuum gregem, nos monſtratâ viâ ſalutis vitæque æternæ, ut eam ingrediantur ſuademus, hortamur, & quodammodo propellimus: at ſolâ vi veritatis & propriæ ſuæ conſcientiæ ſtimulis.

Hoc modo *Liberam* dicimus religionem Chriſti, & cultores ipſius voluntarios. Nullâ vi utitur prout innuimus, prætèr ſuaſoriâ & rationali, & in nullius provinciam ſeſe ingerit. Non in bona aut vitam alterius, ſunt enim Cæſaris: non in Conſcientiam, eſt enim ſolius Dei. Neque tamen deſunt Eccleſiæ ſua jura: Eáque triplicis ordinis, Divina, Socia, & Politica. Primò, jura divina, à Chriſto & Apoſtolis conſtituta & confirmata. Qualia ſunt jus prædicandi verbum Dei, & adminiſtrandi ſacramenta: & ad hæc rite peragunda perſonas idoneas eligendi & deſignandi: Denique interdicendi ſuis ſacris nefarios & ſceleratos. Secundò, jura ſocia: de quibus ſcilicet inter ipſos convenit in commune bonum Eccleſiæ; quæque, Magi-

Digitized by Google

Magiſtratu non renuente, exercere poſſunt: modò ſint innocua, nec libertati Chriſtianæ diſſentanea. Denique, jura politica; quæ à Magiſtratu & legibus, Eccleſiæ ſunt conceſſa: Qualia ſunt multa circa reditus & libertates Eccleſiaſticorum, circa diſciplinæ modos, circa jus conveniendi, aut novas condendi conſtitutiones: cum aliis ſimilibus, quæ alia atque alia ſunt pro diverſis locis & temporibus. Atque intrà hos terminos conſiſtere mihi videntur jura Eccleſiæ.

Inter jura Politica jus convocandi & celebrandi Concilia & conventus Eccleſiaſticos numeravimus. Quandoquidem, ut nobis videtur, non jure divino, ſed prudentiâ humanâ inſtituuntur Comitia Eccleſiaſtica. Ita tamen ut in extremâ neceſſitate conſulendum ſit religioni Chriſtianæ, ne labatur. De rebus externis ordinandis & œconomiâ Eccleſiæ in his conventibus uſitatiùs deliberatur. At ſiquis de controverſiâ finiendâ Concilium appellet, ipſius ſententiæ (non prohibente principe) acquieſcere debet, ut eâ de re lites publicas ultrà non moveat. Interea, veritas manet eadem ex quacunque parte ſteterit ſententia Concilii: Sed ad pacem conſervandam ordinémque Res ita judicata pro ratâ habeatur appellanti, vel prematur poſtea ſilentio. Ut hæc autem Tribunalia, pluris aut minoris, æquâ ſemper ratione, æſtimemus, res paulo altiùs eſt repetenda.

Fundamenti loco ponatur, perire non poſſe funditus Eccleſiam Chriſtianam, nunquam extinctum iri in terris. Nunquam revivi-

vivíſcet & dominabitur Paganiſmus aut Judaiſmus: Nunquam prævalebit Lex Mahometis, aut alia quæcunque, per totum terrarum orbem, extincto Evangelio & religionis Chriſtianæ profeſſione. Hoc certum ratúmque ex verbis Chriſti. Sed qui promiſit ſe conſervaturum Eccleſiam ſuam inextinctam, non itidem promiſit eandem ſe conſervaturum incorruptam; incoruptam dico, aut doctrinâ aut moribus. Quinimo nos monent eadem Oracula Sacra futurorum ſcandalorum, Apoſtaſiæ futuræ, Antichriſti futuri: Eóq; regnante corruptum iri Eccleſiam, tam in fide quàm moribus. Ad mores quod pertinet, utinam liberare potuiſſem ab hâc maculâ quamlibet Eccleſiam. Proh dolor! id quod maximè ſacrum eſt in omni religione, & potiſſimùm in noſtrâ, deſideratur maximè inter Chriſtianos: Animi probitatem intelligo, & mores inculpatos. Atque ii ipſi qui ſe jactitant immunes ab omni errore in fide improbitate & vitiis ſunt maximè infames.

Mat. xvi. 18. & xxviii. ult.

Mala Moralia, ſecundùm inſtitutionem Evangelii præ cæteris omnibus Deo ſunt odioſa: Spiritúmque Dei offendunt, contriſtant, abigunt aut extinguunt. (*Epheſ.* iv. 30.) aditúmque ad veritatem intelligendam mentémque Chriſti præcludunt, *Joh.* iv. 14. & vii. 17. Quo minùs credibile eſt Spiritum veritatis habitare inter malos.

Ad Doctrinam quod ſpectat, neque hanc eliquatam penitùs, & ab omni fæce & admiſtione puram eſſe arbitror in quâvis Eccleſiâ

cleſiâ particulari: ſed in his quàm illis multo minùs aberratur, in paucioribus nimirum & levioribus. Si de Eccleſiâ univerſali inſtituatur quæſtio, ipſius ſententia non aliter inveſtigari poteſt quàm in Concilio Generali: Quúmque Concilium Generale, (ut eò jam redeamus) ex iiſdem ferè viris compoſitum ſit, quibus conſtant Synodi Provinciales & Nationales, iidem homines aut iiſdem affectibus obnoxii, mutato loco non fiunt ſapientiores aut inerrantes. Sententiæ Conciliorum, ſive majorum ſive minorum, nihil aliud mihi videntur quàm conſulta patrum, aut opiniones virorum doctorum de certis rebus in deliberationem propoſitis. Quibus ſuus quidem debetur honos. Sed quantum ad obligationem in ſacris dogmatis recipiendis, ultima Judex eſt Conſcientia cujuſque, Deo ſinceritatis teſte. Doctores aut cœtus Doctorum errare poſſunt, atque fœnum aut ſtipulam ſuper-ædificare, (1 *Cor.* iii. 12.) res inanes & combuſtibiles. Id * firmum fixúmque habeo, NULLUM dari in terris (à temporibus Apoſtolicis) Tribunal Infallibile: Nihil paris authoritatis aut certitudinis cum Sacris Literis: ſive ſit definitio Concilii, ſive Traditio quæcunque inſcripta: Nec ita obligari conſcientiam quorumvis hominum placitis, ut non ſuperſit in privatis *Judicium diſcretionis*, ad normam Sacræ Scripturæ dirigendum. Non creant aut conſtituunt veritatem quicunque conventus Ec-

* *Δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν, &c.* Quod inquit addendum ſit ſacris literis in re fidei. Cyril. Catec. 4. m. p. 30. huc transfer ſi bene congruunt.

cleſiaſtici, nec procudere poſſunt novos Fidei Articulos, ſed tentant pro viribus veritatem invenire, fidémque primitus datam rectè exponere. Quum verò non ſint αὐτόπιςοι, æquo examini ſubjiciendæ ſunt eorum ſententiæ, conſtitutiones & decreta. Et ſi fortè reperiantur Sacris Literis adverſa, aut manifeſtæ rationi, his refragantibus nullius obligant conſcientiam.

Præterea, Horum conventuum ſi reſpiciamus indolem & affectus, ſequuntur plerumque inclinationes temporum & perſonarum. Agitantur quæſtiones huc illuc privatis partium ſtudiis, & definiuntur maximopere ex placito eorum qui Concilium indicunt. Concilia fuere hactenus Imperatoria aut Pontificia, & in utriſque quantum valuit factio, diſcas mallem ex rerum ipſarum hiſtoriâ, aut aliorum animadverſionibus, quàm ex noſtris. Bene dictum eſt olim ab Apoſtolis, utputà errori non obnoxiis, *Ita viſum eſt Spiritui Sancto & nobis:* Sed cùm pendet Spiritus Sanctus ab afflatu Principis aut Pontificis, ſimulatâ authoritate luditur in re ſeriâ, & nomen Dei prophanatur cùm placitis humanis inſcribitur. Denique, Da mihi Concilium liberum, tam à vi externâ, quàm à partium ſtudiis & præjudiciis: Da, inquam, Senatum Eccleſiaſticum legitimè convocatum & ſub æquis conditionibus: A viris probis, ſapientibus & verè Chriſtianis compoſitum, qui nullius ambiunt gratiam, aut metuunt odium, aut captant beneficentiam: Qui veritatem Evangelicam unicè quærunt, & inventam ex animo ſince-

rè

Digitized by Google

rè & audacter proferunt & profitentur: Hujuſmodi cœtûs auguſti quis non pronus veneraretur judicium? Sed hujuſmodi cœtum à temporibus Apoſtolicis Sol nondum vidit in his terris; an viſurus ſit unquam, neſcio. Interea donec ad hæc tempora, ad hos judices integros & incorruptos perventum fuerit, ſit tibi Concilium Prophetarum, Evangeliſtarum, & Apoſtolorum chorus: Eorum decreta & conſtitutiones evolve, hos ſequere duces quoad poteris. Non deerit tibi lumen ad vitam æternam, modò ſint aperti vigiléſque oculi: nec offundantur animo, ut ſæpius ſolet, à cupiditatibus mundanis, caligo & nebulæ. His regulis præpoſitis, unicum eſt ad ſalutem neceſſarium, *Sinceritas:* & qui ſub hâc includitur, Dei & veritatis amor. * In cæteris, pro ratione intellectûs & notitiæ, majoris aut minoris, nunc plura nunc pauciora ſunt ad ſalutem requiſita. Qui unicum habet talentum, rationem reddet unius: qui plura, plurium. Sed qui fidelis eſt in parvo, acceptus habebitur & remunerabitur. Paupercula, quæ duo minuta in Gazophylacium immiſit, plus dedit cæteris, judicante Chriſto. Pro voluntate & viribus æſtimatur opus cujuſque, non pro mole & magnitudine tantùm. Ita qui Deo loquenti & revelanti credit, & quicquid noverit ipſius eſſe verbum firmâ fide amplectitur, is complexim & implicitè & voluntatis inclinatione credit omnia quæ cœlitus revelantur: & ſpeciatim ac expli-

Ephef. ii. 20, 21, 22.

* *Proculdubio aut docilis ignorantia non facit Hæreticum, aut omnis Chriſti diſcipulus erit Hæreticus.* Facund. Hermian. l. 12. c. 1.

citè

citè hoc aut illud dogma, quàm primùm quærenti innotuerit id eſſe Verbum Dei. Deus non tam reſpicit numerum articulorum quibus fides adhibetur, quàm diſpoſitionem animi quâ creditur, & quos ferat fructus illa fides. Denique, nihil valet fides abſque fundamento & fructu, & nullum eſt certum fidei fundamentum præter Verbum Dei, nec fructus ſinè obedientiâ illi debitâ. Atque his adhæreamus.

Tandem ut claudamus omnia, non diffitendum eſt in his Eccleſiaſticis, quæ prudentiæ Chriſtianæ magnâ ex parte commiſſa ſunt, nonnunquam occurrere locos nodoſos & caſus ferè inextricabiles, ubi omnem prorſus errorem effugere non tam penès nos eſt, quàm à magnis præcavere. Sed idem accidit non rarò in cæteris rebus humanis: In quibus non pauca ſunt mala inſanabilia, & dubia inſolubilia. Et quemadmodum è malis minimum, ita è dubiis minùs dubium Prudentis eſt eligere. Adhibitis ſemper in conſilium & judicii regulam Literis Sacris, Conſcientiâ purâ, & Chriſtianæ religionis indole & ſine ultimo. Hæc hactenus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. 1	L. 5	preſtitum	Lege	præſtitum
2	26	reſtaurandum		reſtaurandam
10	18 19	mente, mente,	*dele*	mente
16	15	ὄν		ὄν
16	17	καθτρῶς		καθαρῶς
21	7	pluro		plura
21	22	ordinis		ordines
49	18	gaudiam		in gaudium
71	14	del		vel
78	6	practi		pacti
87	17	quid		qui
93	31	fortitur		fortiter
124	26	obthurantur		obturantur
142	21	inſtitia		juſtitia
127	13	quid		qui
139	1	θυσικῶς		φυσικῶς
146	1	guſtaverat		guſtaverant.
169	19	ſtatunt		ſtatuunt

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005677057
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google